AUXILIANTE SUMMO NUMINE
SPECIMEN INAUGURALE THEOLOGICUM
DE

THEOLOGIA DAEMONUM

EX DECRETO
VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS
IN ALMA HAC ROSTOCHIENSI
PRAESIDE
RECTORE EJUSDEM MAGNIFICO
VIRO SUMME REVERENDO ATQUE GENEROSISSIMO

DN. ALBERTO JOACHIM DE KRAKEVITZ,

SS THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO CELEBRATISSIMO, CONSIST. DUCALIS CONSILIARIO GRAVISSIMO, ET DISTRICTUS MECLENBURGICI SUPERINTENDENTE VIGILANTISSIMO, MERITISSIMO
PATRONO ATQUE PROMOTORE SUO SVMMOPERE COLENDO
PRO IMPETRANDIS SUMMIS IN THEOLOGIA
HONORIBUS ATQVE PRIVILEGIIS
PLACIDO ERVDITORUM EXAMINI
DIE XV AUG. A. D. H. MDCCXV. H. L. Q. C.
SUBMITTIT

M. FRIDEM. ANDR. ZULICH. JEN.

WITTEMBERGAE
Apud ANDREAM HEBERVM, Anno. 1718.

58700(12)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PRAEFATIO.

Q*Væ ſupra nos, nihil ad nos*, non omnino
male quondam aſtrognoſiæ præferens
morum emendationem paganus di-
xit Socrates. At multo forte rectius
Chriſtianus dicere poterit: *Quæ infra*
nos, nihil ad nos. Quippe cuius cor &
animus, relictis & conculcatis inferi-
oribus, ſurſum feruntur: qui ſuperna
ſapit, & quærit, illic exiſtentia, ubi
Chriſtus eſt ſedens ad dextram DEI. Col. III,
Et profecto etiam *quæ circa nos, nihil ad nos*, quorum non eſt 1. 2.
ea ſapere quæ in terris ſunt: quorum converſatio & negoti- Phil. III,
atio eſt in cœlis. Cumque Paulus de iis qui extra eccleſiam 20.
ſunt, extra regnum cœlorum vagantur, dicat: *Quid ad me e-* 1. Cor. V,
tiam extraneos judicare? Quid quæſo ad nos judicare, curare, 12.
conſiderare in extimis tenebris conſtitutos, catenis tenebra-
rum ad tartara detruſos? Verum tamen quis eſt, quem late-
at, eam eſſe hominum etiam Chriſto addictorum miſeriam,
ex quo ſemel primus humani generis parens Satanæ fraudes
in ſe incaute admiſit, ut, quamdiu mortalem hanc vitam vi-
vimus, multo jam magis Satanæ fraudibus ſimus expoſiti?
Quantumcunque ſancta mentis elatione caput inter ſidera ge-
ſtaverimus, quamdiu tamen pedibus terram adhuc tetigeri-
mus, h. e. ut Paulina phraſi rurſus utar quamdiu ex mundo
non exiverimus, quoad terrenæ hujus, domus noſtræ taber- 1. Cor. V,
naculum diſſolutum non fuerit: nunquam non & ea quæ circa 10.
nos, et ea quæ infra nos ſunt, nos ad ſe trahere tentant, & a ſuper- 2. Cor. V,
nis abſtrahere. Quinimo *lucta nobis* ſemper eſt non modo ad ver- Eph. VI,
ſus carnem & ſanguinem, ſed etiam *adverſus imperia, & poteſtates,* 12.
& mundipotentes ipſarum illarum *tenebrarum ſeculi huius.* qui a-
deo etiam in cælos nobiscum adſcendunt, quo noſtros ele-
vavimus animos, ut fallant certius, miſcentes ſe ſpiritualibus
cœptis, auſis, inſtitutis noſtris, tanquam & ipſi *ſpiritualia ma-*
lignitatis in cœleſtibus exiſtentes, τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν
τοῖς ἐπουρανίοις. Nimirum cum DEUS hominem creaverit, &
lapſum reſtituerit, ut laudaret ipſum atque celebraret; per-

 petu-

petuam ei iſtud etiam adverſus communes hoſtes faciendi voluit exiſtere occaſionem. In faciem enim ſaltim, aut coram amicis aliquem laudare, vulgare eſt; adverſus inimicos autem atque hoſtes virtutes alicujus & egregia facta confiteri ac celebrare, iſtud demum ſinceri & generoſi eſt pectoris. Quantumlibet igitur nihil ad nos pertineant & quæ circa nos & quæ infra nos, ut ea quæramus, ut iis ſtudeamus, ut ea ſapiamus, ut ipſis juvemur: cum tamen illa nos noſtramque ſalutem eousque affectentur, utique nos noſtraque attinet cavere illa, repellere, & ut hoc eo felicius præſtemus, ea noſcere. Certe felicior tibi lucta erit, ubi aduerſarii habitum, vires & artes noveris. Omnium vero maxime intereſt acerrimi noſtri & aſtutiſſimi hoſtis fraudes atque technas perſpectas habere, quibus nos nunquam ceſſat ſeducere, quo minus creatorem, redemtorem & reparatorem noſtrum verbis factisque referamus & celebremus. Earumque dubio procul nocentiſſimæ ſunt, quæ dum veritatis & ſanctitatis ſpecie fulgent, minus vitantur. Ita enim in *lucis Angelum ſe*
2.Cor. XI, *transformans* ſatanas cœlum quaſi adſcendit. Ita ἐν τοῖς ἐπουρα-
14. Eph. νίοις in rebus regnum cœlorum ſpectantibus, doctrina ſalu-
VI, 12. tari, Divinis veritatibus ſpecioſiſſimis & vita irreprehenſibili
Matth. inſurgunt adverſus nos τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. Ita in
XIII, 29.ſ. ipſo DEI agro zizania ſerit adverſarius, triticum adeo mentientia, ut ante meſſis tempus dignoſci omnia ac ſeparari nequeant. Quæ conſiderantes perſpicimus utique ad nos omnes pertinere nec unquam temnendum eſſe, quod ad penitius noſcendum adverſarium tam malignum impenditur, ſacrum ſtudium. Neque hanc quoque ſupervacuam idcirco quiſpiam arbitrabitur operam, locatam huic DE THEOLOGIA DAEMONUM materiæ, quam prudenti conſilio VENERANDA FACULTAS THEOLOGICA ad exercitationem, ſueto more, pro impetranda in Theologicis docendi ac diſputandi Licentia publice proponendam, petenti mihi ſuggeſſit. Si unquam, certe his poſtremis temporibus conducet dia-
1,Tim.IV, boli in cœleſtibus facultatem & malignitatem pernoſcere,
1. 2. quibus vel maxime, teſte Apoſtolo, ex claro Spiritus Sancti

oraculo

oraculo, attenditur doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi falſiloquorum, quibus tot inter ſanctioris ſcientiæ doctores diſſidia, nunc omnem diabolo veritatis cognitionem derogant; nunc eam, quam DEUS O. M. impiis hominibus ad procurandam ſalutem illorum concedit, notitiam diabolicam dicunt; nunc ipſam veræ doctrinæ haud poſtremam partem doctrinam dæmoniorum & noxium patris mendaciorum dogma appellant; nunc ſalvificam etiam veritatis cognitionem diabolis concedunt. De his igitur ut rectiora nobis conſtent & confirmentur, Benigniſſimi NUMINIS auxilium mihi precatus, demandatam materiam, ea qua fieri poteſt brevitate, ſic tractare aggreſſus ſum, ut ante omnia pateat, num detur quædam dæmonum Theologia? ubi vero de eo compertum fuerit, quod detur, dein eluceſcat: undenam fuerint eam conſecuti, & qualis tum in ſe, tum ratione ipſorummet malignorum ſpirituum, tum in comparatione ad alios exiſtat. Faxit ille, qui Satanam conculcat ſub pedes noſtros, Unitrinus DEUS, ut ita hæc noſcamus, nec unquam quæ infra nos, ad nos quidquam cenſeamus pertinere! Per JESUM CHRISTVM Redemptorem noſtrum! Amen.

JOVA JUVA!

DE

THEOLOGIA DAEMONUM

SPECIMEN INAVHVRALE THEOLOGICVM.

§. I.

THEOLOGIAE vocabulum a gentilibus acceptum, Eccleſiæ uſu vero ſanctificatum, vi originis ſuæ notare λόγον περὶ τοῦ ΘΕΟΥ, ſive *De DEO ſermocinationem* aut *ratiocinationem*, *uti* Ἀςρολογία de homine, φυσιολογία de natura, & alia id genus nomina de aliis rebus mentis rationalis operas: id in vulgus notum eſt. Idem vocabulum num ſemper ita λόγον τοῦ ΘΕΟΥ notet, ut res eo ſignata non tantum περὶ τοῦ Θεοῦ occupata, ſed & *a* Theologia quid?

DEO profecta & *ad DEUM* reducens intelligenda ſit, etymi ſaltem ratio non ſvadet. Ex uſu vero communi in ſua acceptum amplitudine notabit *Habitum Potentiæ rationalis docendi, confirmandi ac defendendi ea, quæ de DEO, ejus eſſentia, operibus, ac voluntate ipſi quomodocunque cognita exiſtunt.*

§. II.

Dæmones quid? Dæmones a Δάιω *luceo, ardeo, diſco*, vel a Δάιμω *ſcio* dictos eſſe communiſſima eſt ſententia, licet Euſebius (a) a δειμάιω *timeo* vel *terreo* nuncupatos malit. Pythagoræa Philoſophia, notante Hierocle, (b) humanas animas veritate & virtute exornatas appellat δαίμονας, ὡς δαίμονας καὶ ἐπιςήμονας *tanquam peritas & ſcientes.* Alias profanis ſcriptoribus communiſſime notat medias inter DEUM & hominem naturas, gentibus religioſe cultas, Deorum etiam nomine honoratas. Scripturæ vero uſu nunquam niſi *malignos* notat *Spiritus, genios apoſtatas*, & *angelos ob non ſervatam originem ad tartara detruſos.* Unde recte Auguſtinus (c) *per ſanam doctrinam*, inquit, *quæ humanis rebus illuxit, omnes vel pene omnes dæmonum nomen exhorrent.* Et ſic fere penes Chriſtianos ſcriptores veteres ac recentiores perinde eſt, *dæmones* an *cacodæmones* dicant. *Apud nos*, ait Euſebius, (d) *nomina iſta* dæmonis & dæmonii *ſemper male ſonant, neque ullum bonum dæmonem noſtræ dicunt Scripturæ.* Uti

Eph. II, 2. Luc. XI, 24. 26. vero S. Scriptura ipſamet eos appellat *Spiritus*, ita nulla cogit neceſſitas, ut corpore ipſos quantumcunque tenuiſſimo, ſive aëreo, ſive æthereo, induamus, licet hoc, præter ſcriptores nonnullos recentiores, quamplurimi faciant antiquorum eccleſiæ Patrum. Diverſa tamen *dæmoniorum* eſſe *genera* & *ordines* diverſos, itidem ex ſacro Codice manifeſtum eſt. Licet enim ejus diſtinctionis quam Proclus (e) affert, quod quædam dæmonum genera ſint λογικὰ μόνως quædam ἄλογα μόνως, quædam μεταξὺ τ8των, ſcriptura fundamentum non ſuggerat: non ea tamen æque ignorat diſcrimen, quod Patres plerumque obſervant, inter *Diabolum* & *dæmones*, diſtinguens quippe †) *diabolum* & *angelos ejus.* Illum etiam ††) Beelzebub ſeu Beelzebul *muſcarum* ſeu *ſtercoris dominum*, *) *Satanam*, **) Belial ſive *nequam*, †) *Deum hujus mundi*, ††) *Draconem:* hos *) *volucres cœli*, **) im-

†) Matth. XXV, 41.
††) c. X, 25.

**) *imperia, poteſtates, mundi potentes, ſpiritualia malitiæ in cœleſtibus,* †) *poteſtatem tenebrarum* & aliis nominibus appellat. Nec repugnante ſcriptura quoque *diverſa* dæmonum *ſtudia*, negotia & quaſi officia ſtatuuntur. Equidem an locus Eph. II, 2. id innuat, quod *Irenæus* f) elicit: *diabolus*, dicens, *eſt unus ex angelis his, qui ſuper ſpiritum aëris præpoſiti ſunt, quemadmodum Paulus in ea, quæ eſt ad Epheſios, revelavit*, aſſerere nollem. Neque fundamentum patet deſcriptionis diaboli, quam Epiphanius g) tradit, diabolum nempe eſſe *πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην ἔχον a DEO procreatum*, cum quam maxime circa animas & circa cœleſtia occupentur illa nequitiæ ſpiritualia. Non male vero apud Caſſianum h) Abbas Serenus *Unicuique vitio certos Spiritus incupare* dicit, *& alios quidem immunditiis ac libidinum ſordibus oblectari, alios blaſphemiis, alios iræ furorique peculiarius imminere, alios paſci triſtitia, alios κενοδοξίᾳ ſuperbiaque mulceri, & unumquemque illud vitium humanis cordibus inſerere, quo ipſe gaudet.* Hinc idem *diverſa nomina* aërearum poteſtatum eſſe dicit, ut dicantur *fauni, incubi, bacucei, ſpiritus mendaces, ſpiritus fornicationis, nocturni, diurni ac meridiani dæmones, onocentauri, piloſi, ſirenæ, lamiæ, ululæ, ſtruthiones, ericii, aſpis, baſiliſcus, leo, draco, ſcorpius, princeps mundi hujus, rector harum tenebrarum.* Quamvis autem ex diverſis iſtis agnominationibus dæmonum, diverſa eorum genera ac ſtudia non inepte colligantur, negandum tamen non eſt tum ſcriptores Chriſtianos complures, tum ipſa quoque ſacra Biblia earum plures promiſcue tribuere omnibus illis ſpiritibus peccatoribus, non ſervato ſuo principio & relicto ſuo domicilio in judicium magnæ diei æternis vinculis ſub caligine aſſervatis.

XII, 24. *) Matth. IV. 10. **) 2 Cor. VI, 15, Deut. XIII, 13. †) 2. Cor. IV. 4. Joh. XIV. 30. ††) Apoc. XII, 7. *) Job. XXIIX. 21. **) Eph. VI, 12. †) Col. I. 23.

a) De Præpar. Evangel. L. V. c. 5. Poſidonio placitam Etymologiam notavit *Macrobius* Saturnal. I. 23. b) *In Aurea Carmina* v. 3. p. m. 45. Heſiodo eandem ſententiam Plato tribuit. conf. Lud. *Vives* ad Auguſtin. de C. D. IX, 11. c) *De Civ. DEI* L. IIX. c. 14. ſic & L. IX. c. 19. Equidem mavult *Hiſtoire Critique de la Rep. des Lett.* T. II. p. 246. locum Paulinum 1. Cor. X, 20. exponi de *Diis gentilium* quam de *diabolis*. Uti vero Cl. Editori lubens conceſſero gentes dæmonas deos ſuos appellaſſe, non tamen

men negabit inde Paulum dæmonas illos malos ſpiritus ſtatuiſſe, cum etiam v. 19. ab iis *idola* ſ. deaſtros probe diſtinguat. Neque loca quæ *Knatchbull* in 1. Tim. IV, 1 allegat ex LXX. Interpp. negant, illos quoque *dæmonia* pro idolis ponendo *diabolos* ſignificaſſe. d) *De Præpar. Evang. L.* IV. c. 3. e) Ad Heſiodum. f) *Adverſ. hæreſes* L. V. c. 24. g) *Hæreſi* LXIV. p. 544. conf. Athenagoras in *Legatione pro Chriſtianis.* h) *Collatione Patrum* VII. c. 17.

§. III.

Theologia dæmonum homonymia.

Qualiſcunque vero malignorum iſtorum Spirituum diverſitas, ipſos Theologicæ etiam cuicunque notitiæ ſive aptos ſive ſtudioſos ſive ea inſtructos magis aliis alios facile oſtendit. Triplici autem potiſſimum ratione Theologia Dæmonum dici poteſt. Aut enim denotat peculiariſſimam diabolo & angelis ejus ſcientiam de DEO & rebus Divinis, quam ii *ex propriis* ſuis fingunt. Quam, cum quæ ex propriis loquuntur, mendacium exiſtant, *falſam, κακίαν ἀδίδακτον & αὐτοδίδακτον, ἀντιθεολογίαν, & fœcundam omnis ἀθεολογίας matrem* ex rei veritate appellat, Celeb. Danus, *Sev. Lintrupius* a). Aut ſignat *veram* illorum ſcientiam de DEO rebusque Divinis *ipſosmet dæmones attingentibus* & attinentibus, forinſecus ipſis quomodocunque advenientem. Aut denique notat DEI Divinarumque rerum *ad hominem ejusque ſalutem ſpectantium* ſive *myſteriorum Gratiæ* ſcientiam, quatenus ea in diabolis reperitur aut exiſtere poſſit. De Theologia Dæmonum in prima acceptione agere, infiniti res laboris eſſet, cum, uti veritas una eſt atque ſimplex, ita infinitiformis exiſtat pravitas ac mendacium. At ut mendacium dignoſcas, non neceſſe eſt callere antea mendacium, ſed ſufficit veritatem una & fallacem mendacis animum ac hypocriſin perſpectam habere. De dæmonum ergo Theologia iſthoc ſenſu ſermo nobis nunc non exiſtit. Notitia articulorum doctrinæ Divinæ dæmones ipſos attinentium, v. g. de DEO juſto judice, de Creatione, de angelis bonis iis reſiſtentibus, de imagine Dei amiſſa, de homine ſeducto, de ipſorummet defectione, de Chriſto vindice, de morte, de extremo judicio &c, nec ipſa

quidem

quidem negari poterit dæmonibus, ob rerum ipſarum naturam ac ipſam DEI juſtitiam: magis tamen in noſtram cadet conſiderationem. Maxime autem nobis de Theologia dæmonum acturis ob oculos verſatur ſcientia articulorum Divinæ ac hominibus ad ſalutem ipſorum revelatæ doctrinæ. Quorum num quæ, & qualis, ac undenam accepta competat dæmonibus notitia, id ipſum eſt de quo deinceps ſumus acturi.

a) *Lineament. Protheor, Theol. §. 6.*

§. IV.

Exiſtere enim dæmones ſive diabolos, eosque ſuis etiam nos attingere operationibus, non eſt ut fuſius nunc probemus, & in ipſo exercitationis progreſſu magis id atque magis firmatur. *Eam cognoſcendi principia.* Noſcere enim Divina, credere, eloqui, mendaciisque prætexere ipſos, ſi argumentis irrefragabilibus probari poterit, exiſtere eos etiam & operari una probabitur. Ex iisdem enim argumentis, quibus ipſa diaboli exiſtentia nobis innoteſcit, etiam de illius Theologia nobis conſtare poterit, nimirum ex *Scripturæ revelatione, & ex varia experientia*, qua Dæmones varia forma comparentes viſi & auditi, cum hominibus locuti, pacti, converſati ſunt, qua per oracula ſe prodiderunt, qua deprehenſi ſunt divina imitari perpetua fere κακοζηλία, qua per homines tum corporaliter tum ſpiritualiter obſeſſos, hæreticos inprimis, ſe manifeſtarunt, qua vel maxime pii homines tentatoris ignea tela, ſpiritualis malitiæ in cœleſtibus, ſpiritus maligniſſimi poteſtatem ſatis arguentia, quotidie ſentiunt. Solius tamen Scripturæ Sacræ infallibilis hic etiam eſt auctoritas, ejusque effatis omnis experientia eſt ſubordinanda ad eaque dijudicanda. Sicut ipſa Scriptura teſtis eſt diabolum per *) apparitiones ac converſationes per ††) ſagas, *) oracula pythonum, **) obſeſſos, †) pſeudoprophetas & hæreticos, & per ††) piorum tentationes ſuggeſtionesque varias ſe manifeſtare. Humanæ vero rationis *conjectura*, non niſi fundamentis illis nixa, in quibusdam ſaltem ſuppeditare poterit de Dæmonum Theologia notitiam diductiorem.

*) Gen. III. 1. ſ. Matth. IV, 3. ſ.
††) 1. Sam. XXVIII. 11. ſ.
*) 2. Reg. I,

Act. XVI, **) Matth. VIII. 28, ſq. †) 1. Reg. XXII, 23. ſq. 1. Tim. IV. 1.
16. ††) Luc. XXII, 31. Epheſ. VI. 11. ſq.

§. V.

NUM DETUR ergo Theologia Dæmonum eo quo di-
QVOD ximus ſenſu accepta, ut certiores reddamur, per ſingulos Di-
SIT *The-* vinæ & hominibus ſalutaris doctrinæ articulos diſpiciendum
ologia dæ- erit, quamnam eorum notitiam Scriptura S. dæmonibus tri-
monum buat, experientia quæcunque ipſos habere teſtetur, & his ni-
xa quandoque comprobet atque ediſſerat ſanæ rationis con-
jectura.

§. VI.

De S. Scri- VERBI DEI *ſcripti* æque ac *non-ſcripti* notitiam, teſte
ptura. Scriptura, diabolus inprimis prodidit tum in primæ matris
†)Gen.III, ſeductione, tum in ſecundi Adami tentatione (a). Ad illam
2. dicebat: †) *Siccine, quoniam DEVS* DIXIT, *non comedetis de*
††)Matth. *omni arbore horti?* Ad hunc: ††) SCRIPTUM EST *quod angelis*
IV,6.Luc. *ſuis præcipiet de te.* Quibus ipſis quoque auctoritatem Ver-
IV, 10. bi Divini & vim conſtituendi ſciendorum atque agendorum
normam ſe agnoſcere teſtatus eſt, quam Evæ extenuare, &
qua literæ tenaciorem Chriſtum irretire ſategit. Sic, teſte
eadem Scriptura, ſe Divinorum Samuelis vaticiniorum non
*) 1. Sam ignotum prodidit cum perſonam ejus induiſſet, *) dicens:
XXVIII, *fecit ſibi Dominus quemadmodum locutus eſt* ME MINISTRO ac
17. ſcriptore. Neque dubium, noſſe ipſum, ea omnina, quæ
in Scriptura S. habemus revelata, DEI verbum eſſe, & minus
de eorum veritate igitur dubitare quam homines. Quam i-
gitur idem Eloquiorum Divinorum hoſtis eorundem oſten-
tarit ſcientiam in obſeſſis pythonibus, converſationibus va-
riis, prolixior eſt omnium ſeculorum experientia, quam quæ
uno volumine, nedum brevi paragrapho enarrari queat. Nam
ut vere ait loquens de *Sevennenſibus* ſingulari ſpiritu latis (di-
cta ſacrarum literarum dextre etiam & large recitantibus, cum
eam multi nec legerint unquam, nec legere potuerint meri-
tiſſ. Berolinenſis Eccleſiæ Præpoſitus *J. Porſtius* b), illa eſt dul-
ce canens aucupis fiſtula, qua allectis dein ex proprio penu cæ-
des, homicidia, adde errores & mendacia, loquitur. Eſſe vero
doctri-

doctrinam de Verbo DEI, hodie non niſi S Scriptura comprehenſo, inter articulos *Dæmones* propius *attinentes*, & revelatum illud ita ideo quoque eſſe, ut noſceret diabolus, videri poſſet exinde, quod Salvator ipſe tentatorem ſtatim ac toties ad Scripturam remittat, tanquam commune principium, cum alia ratione ipſum arcere potuiſſet. Saltem ita cenſuiſſe diabolum, ſe quoque Scripturæ promiſſiones attinere, *Epiphanius* c) Juſtinum ſecutus ſtatuere videtur. Verum re curatius penſitata, ex illo facto, nobis quoque literam eſſe curatiſſime ſervandam docturo, amplius quid colligi nequit, quam quod noverit JESUS perſpectum eſſe diabolo, hominibus extra præſcriptos a Verbo DEI limites non eſſe procedendum. Vnde bene *Origenes:* d) *Vnde tibi diabole hoc ſcire quod iſta ſcripta ſunt? num legiſti prophetas vel divina eloquia cognoviti? Legiſti non ut ipſe ex lectione ſanctorum melior fieres, ſed ut ſimplicitate eos, qui amici ſunt literæ, interficias. Scis, quia ſi de aliis ei voluminibus loqui volueris, non decipies, neque habere poterunt auctoritatem aſſertiones tuæ.* Novit nempe S. literas diabolus non tanquam ſibi ſed tanquam homini ſcriptas. Quod ſi diabolum attineant S literæ, attingunt eum tanquam fortis ille *) *gladius Spiritus*, ipſum toties tamque acerbe lædens, quo vincunt ipſum pii quoque, ſecuti in eo Redemtorem ſuum. De quo appoſite *Irenæus* e) contra Valentinianos, *Propter hoc* (quia unus eſt, qui plasmavit nos ab initio, & in fine filium ſuum miſit) *ſalvator diabolum non aliunde deſtruxit, niſi & dictionibus legis, & patris præcepto adjutore uſus* & p. p. *Sermone* DEI *ergo eum traducens Dominus, poſtea jam per verbum conſtanter eum colligavit, quaſi ſuum fugitivum, & diripuit ejus vaſa, i. e. homines.*

Matth. IV. Luc. IV.

*) Eph. IV. 17.

(a) Defendit utramque hiſtoriam contra Balth. *Bekeri* & Zach. *Webberi* injurias B. Præceptor meus, Theologus de Eccleſia meritiſſimus Zach. *Grapius* in pecul. Diſſ. *de Tentatione Evæ & Chriſti.* b) *Hiſtori*ſche Nachricht und Prüffung der ſo genannten *Inſpirirten* p. 122. conf. p. 48. c) *Hæreſi* 39. p. 289. d) *In Lucam* homilia 31. e) *Adv. Hæreſes* L. V. c. 21. qui plura etiam de illa virtute Verbi DEI diabolum vincente habet c. 22.

§. VII.

De DEO. Inter Quæſtiones ex V. & N. T. CXXXV, cum *Atha-*
naſii Operibus vulgatas, centeſima & ſexta eſt: *Quis primus*
Gen,III,2. *nominavit DEVM in terra?* & reſpondetur: *Diabolus, cum ad*
Evam diceret: quid eſt, quod interdixit DEVS, ne comederetis de
hoc ligno? Equidem ſi vera eſſet Patrum a) nonnullorum ſen-
tentia, diabolum cum homine, vel demum poſt ſeductum
eum lapſum eſſe: non diabolus primus DEVM in terra no-
minaſſe dicendus eſſet; ſed angelus tum temporis adhuc bo-
nus. At uti vel ſeducendi propoſitum non potuit niſi in
jam corrupto locum habere: ita ſcriptura non tantum in hi-
ſtoria lapſus humani, ſed & locis aliis quam plurimis DEI
notitiam haud vulgarem Dæmonibus tribuit. Quid aliud e-
nim innuit Hiſtoria Jobi, *) quando bis Satanam *inter filios*
DEI coram Domino ſtetiſſe dicit; quid aliud innuit Scriptura †)
Micham vidiſſe memorans Spiritum mendacem *ad faciem Do-*
*) Job.I,6. *mini conſtitiſſe*, Zachariam *) referens conſpexiſſe ad Joſuæ
12. II, 1. 7. Pontificis dextram Satanam *ſtantem coram Angelo Domino*, quam
†) 1. Reg. Dæmones æque ac bonos angelos atque homines pios, in
XXII, 21. penitiorem quoque DEI cognitionem admitti? Et ſane o-
2. Paralip. mnis de eſſentia & attributis DEI doctrina propius dæmones
XIIX, 20. attingere videtur, nam & quod bonus atque benignus DE-
*) Zach. VS, grauius illis exiſtit atque horribilius. Illuſtris eam in rem Ja-
III, 1.2. cobi locus eſt, impios fidem crepantes increpans: *Tu credis DE-*
VM unum eſſe, bene facis. etiam Dæmonia credunt, & contremiſcunt.
Jac. II,19. Quo in loco Dæmonibus ampliſſimam non de eſſentia ſolum
& attributis, ſed & de voluntate ac operibus DEI notitiam
tribui ſi aſſeruero, non nimis dixero. Certe non tantum
DEO *credere* dæmonia hic dicuntur h. e. vera exiſtimare quæ
DEVS loquitur, ſed etiam DEVM *credere*, h. e. plena convi-
ctione noſcere DEVM *quod ſit* (qua phraſi Paulus totam fere
*) Ebr. doctrinam ſalutarem aliquando *) complectitur) & quod *ta-*
XI, 6. *lis* ſit, qualem ſe manifeſtavit, probis nempe gratioſum, ma-
lignis autem judicem ſeveriſſimum. Imo dicuntur DEVM
†) Deut. *unum* credere, qua phraſi non ſolum Moſes plenam DEI no-
VI. 4. titiam inculcat, †) dum ait: *Audi Iſraël, Dominus, DEVS no-*
ſter,

ſter, *Dominus unus eſt.* Sed Chriſtus etiam doctrinam homi-
nibus ſalutarem comprehendit: *hæc*, inquiens, *) *eſt vita æ-* *) Joh.
terna, ut te cognoſcant ſolum illum verum DEVM, & quem miſiſti XVII. 3.
JESVM Chriſtum. Vnde & S.S. TRINITATIS notitia recte
ipſis aſſeretur, ſine qua DEVS verus noſci nequaquam dici
poteſt. Et ſane, ſi vel amiſiſſet unquam myſterii hujus no-
titiam diabolus, acquirere eam potuerat, cum baptismi Chri-
ſti ſpectator exiſteret. Certe in proxime ſecuta Chriſti ten-
tatione monſtravit †) ſe *Filium DEI* agnoſcere omnipoten- †) Matth.
tem h.e. æque DEVM, qui poſſit lapides in panem mutare, IV, 3. Luc.
quod utique ſolius DEI eſt. Vti Spiritus Sancti notitiam ſe IV. 3.
habere ſæpius teſtatus eſt, ſua quoque opera blaspheme pro
Sanctiſſimi Spiritus operibus vendens. Quod ipſi noſtris in-
primis temporibus in dictis inde *Inſpiratis* innumeris facere
familiare b) extitit. Ac quam maxime Sevennenſibus, etiam
dum mentiretur c), perſvaſit Spiritum S. iſthæc loqui. In
Columba illa, qua, judicante graviter cum aliis Theologis *B.*
Aug. Pfeiffero, d) diabolus ſe texit, viſa in Croſſenæ ſuperio-
ris pago, non procul a Patria mea diſſito, Anno MDCXCV,
ſæpius dixit ſe eſſe *legatum DEI Patris, Filii, & Spiritus Sancti,*
& hortatus eſt claris verbis ad *credendum & adorandum DE-*
VM P. F. & SP. S. Olim quoque, teſte *Theodoreto*, e) Meſſalli-
ani dæmone pleni jactarunt *ſe oculis corporis videre & Patrem &*
Filium & Spiritum S. Vti execranda κακοζηλία ſummum illud
SS Trinitatis myſterium varie exprimere vel potius con-
temtum reddere tum apud veteres f), tum noſtro g) quó-
que ſeculo tentarit, hiſtoriæ teſtantur uberrime. Ex quibus
uti DEVM Trinunum a dæmonibus noſci manifeſtum eſt,
ita hunc *ſolum adorandum & non tentandum* eſſe vel Chriſto di-
cente *) didiciſſet, ſi ſcriptura ipſi antea fuiſſet ignota. Si- *) Matth.
cut, licet forte invitus, hunc DEO cultum †) ipſe etiam re- IV. 10. 17.
tulit, ut *per eum adjurarit* †) Chriſtum. Etnon noſcere ſolum Luc. IV,
DEI *majeſtatem, potentiam, iuſtitiam, ſapientiam* Dæmones, ſed expe- 8. 17.
riri etiam, clare ſatis indicat Jacobus, †) eum ita eos DEVM †) Marc.
illum unum credere dicit, ut *contremiſcant.* V, 7.

(a) Vid. Petavius *Dogmat Theol.* de Angelis L. 3. c. 2. b) v. *B.* *) Jac. II,
19.

Zentgravii Diſſ. *de Enthuſiasmo Divino & diabolico* S. R. *Chladenii* Diſſ. *de inſpiratis ſine ſpiritu.* B. J. *Gerhardi* locum, & alia huc pertinentia exhibet etiam Generoſiſſimus *PRÆSES* im gründlichen Vortrag p. 298. ſeq. c) v. *Porſtius* l. c. p. 57. ſq. d) Im *Theologi*ſchen Bedencken von dem Geiſt in Ober-Croſſen ꝛc. e) *Hæres Fabul.* IV, 11.. f) Conf. *Pfanneri* Syſtema Theol. Gentil. *Huetii* Quæſtiones Alnetanæ. *it.* Cl. J. Guil. *Jani*, præſide J. G. *Neumanno* habita Diſſ. *de Trinitate Platoniſmi ſuſpecta.* g) v. J. Fr. *Mayeri* Diſp. 1705. habita ſub tit. *Nova & abominanda Pietiſtarum Trinitas.* Et *Porſtius* l. c. p. 134. § 7.

§. VIII.

De Creatione, At neque de operibus, effectis, ac voluntate DEI notitiam ſolus Jacobi iſte locus Dæmonibus tribuit, ſed aliis quoque argumentis adhuc manifeſtius ea ipſis aſſeritur. CREATIONIS tum nondum lapſi, tum poſtquam lapſi, magnam partem ſpectatores haud dubie extiterunt. *Laudantes aliquando inter ſtellas matutinas & jubilantes inter filios DEI, & invidentes* poſtea materiali creaturæ, quam produci viderant, Divinæ imaginis prærogativam, qua ſe cernebant ſpoliatos. Sic ex virtutis in DEO creatricis cognitione tentavit creatoris filium diabolus, *ut ex lapide panem* conficeret, neutiquam ignorans, ejus eſſe naturam rei mutare, qui ejus auctor eſt. Atque, licet ipſe quoque *miracula* edere & creationem imitari ſveta ſibi κακοζηλία ſæpius tentet, & eo tamen ipſo prodit notitiam creationis, quam æmulando vult contemtiorem ſiſtere. *Nec enim*, dicente Auguſtio a) *Dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt* (transformant v. g. homines in beſtias) *ſed ſpecietenus, quæ a vero DEO ſunt creata, commutant, ut* Videantur *quod non ſunt.* Et ex hac ipſa creationis ap. Dæmones notitia perſpicitur, non inepte J. Ludov. *Vivem* b) excellentiorem miraculorum Chriſti agnitionem Dæmonibus tribuere quam hominibus, quod viderint ea omnem naturæ vim ſuperare. Plane uti magi Ægyptii quondam, cum non poſſent pediculorum productionem imitari, *digitum* DEI agnoſcebant. Et bene B. Chriſt. *Chemnitius*: c) cum Beda ſtatuit diabolos

[Margin: Job XXXIIX 7. Sap. II, 24. Matth. IV, 1. Luc. IV, 3. Exod. VIII, 19.]

diabolos omnia ſymboli noſtri credere, cum etiam *per miracula vera convincantur pro fidei articulis facta, quæ a falſis miraculis optime diſcernant.* Vnde non ſolum non de iſtarum rerum creatione, quæ ipſis poſteriores, ſed & de ſui ipſorum & omnis extra DEVM eſſentiæ productione ipſis conſtabit. Ipſos vero, una cum bonis angelis, DEI in creatione adminiſtros extitiſſe, nullo Scripturæ fundamento gaudet. Materiæ licet præſtitutos Patrum plures affirment, neque hoc tamen Scriptura probat. Principium *aëris*, volatilium *Cœli*, Domini *muſcarum* vel *ſtercoris* nomina neutiquam extra omne dubium Dæmonibus dominium in certas creaturas aſſerunt. Ex notitia vero finis creationis ſecundarii, quod viſibilia omnia *in hominis uſum* ſint producta, fundamenta tentationis protoplaſtorum homicidam videmus petiiſſe, dum dubitare docuit annon & arbor cognitionis boni & mali ad victum præbendum homini producta fuerit, in eo fallens, quod uſui non eſſe, quod victui non inſerviret, argueret. Eadem nihilominus fraude ſecundum Adamum quoque aggreſſus, neque lapides victum eſurienti negare poſſe aſſervit, a DEI præſertim filio facili mutatione acquirendum. Nam, ut ſcite Irenæus, d) *quia in principio per eſcam non eſurientem hominem ſeduxit transgredi præceptum DEI, in fine eſurienti non potuit diſſvadere eam quæ a DEO erat ſuſtinere eſcam*, illegitime ſaltem comparandam.

Eph. II, 2. VI, 12. Job. XXIIX, 21. Matth. X. 25. XII, 24. Gen. III, 2. 5. Matth. IV. 3.

a) *De Civit DEI* XIIX, 18. b) in *Comment. ad Auguſtin. de C. D.* IX, 21. c) In Diſp. *de fide dæmonum* Jenæ 1663. habita. p. 19. §. 18. d) *Adv. Hæreſes* V, 21.

§. IX.

De Providentia.

Vnde neque PROVIDENTIA DIVINA ſeu cura rerum creatarum, qua ſingulos actus ſuos, dæmonibus eſt incognita. Ipſosque quam maxime attingit hæc doctrina, qua ipſorum libido nocendi quam maxime circumſcribitur. Præscientiam divinam eo minus ignorant, quandoquidem ejus nonnunquam participes redduntur, ipſimet in colloquium DEI cum bonis angelis (a) admiſſi. Illuſtre eſt exemplum refecti ex orco Samuelis, Sauli futura prædicentis. Nec enim ab abomi- 1. Sam. XXVIII, 19.

abominabili DEO Pythoniſſa accerſi ipſi Sanctus DEI neque ex orco beatus in Domino adſcendere potuit, & ignorante ſcriptura, Samuelem amorem Saulis tantiſper in orco eluiſſe dicit recens quidam (b) *Anonymus.* Sed a Pythoniſſa non niſi orci incola Satan evocari potuit. Quamvis & *Siracides* (*)
(*) Sir. XLVI, 23. verum Samuelem vaticinatum ſibi perſvaſerit. Iisdem forte inductus rationibus, quibus & Origenes (c) *ego,* inquit, *non poſſum dæmonio talem poteſtatem concedere, quemadmodum vaticinatur Samuel de Saule, & populo DEI, & de regno David.* Licet ipſe *Origenes* alibi (d) *futurorum præſcientiam, quantum ad ipſam rem ſpectat medium quiddam eſſe, neque proprie bonum neque proprie malum* dicat, quia *poſſit interdum etiam a parte diaboli ea ad hominum notitiam pervenire.* quo ipſe refert *hiſtoriam Philiſteorum*
1. Sam. VI, 9. *arcam dimittentium,* item *extiſpicia, ſortes, auguria* & i. g. a. At
Ezech. XXI, 21. ſq. ea minus recte, cum dubio procul qui ſe Nebucadnezaris extiſpicia, ſortes & auguria rexiſſe teſtatur, etiam juvencarum curſum gubernauerit, ut ſe magis Philiſtæis teſtaretur. Melius Auguſtinus. (e) *Audiunt iſtæ, quæ prædicunt, äereæ poteſtates, ſive angelis ea nunciantibus, ſive hominibus, & tantum audiunt, quantum opus eſſe ille judicat, cui ſubſunt omnia.* Quamvis uti homines naturali ſagacitate futura nonnunquam prævidere ex cauſis ſuis queunt, ita dæmones majore experientia inſtructi plura ſæpe quam homines proſpiciant, multoque etiam facilius quæ ipſimet aut executuri vel quæ alii egerunt, famæ deferendæ velocitate, prædicant, vel in inſtanti quaſi nuncient. Vnde etiam de *Sevennenſium* (f) vaticiniis recte judicatur. Nec poſſum, quin addam Megalandri noſtri *Lutheri* verba, *Diabolum* dicentis (g) *exercitatum & inſtructum infinitis exemplis gubernationis Divinæ, noſſe item voluntates, ſtudia, conſilia hominum, & ea etiam gubernare. Ideo,* inquit, *facile perſpicit deliberationem & impiorum fata & exitus. Videt hactenus ſic vel aliter cogitata ſucceſſiſſe, nec adhuc quidem vllum veſtigium comparere, quod velit Deus objicere impedimentum aliquod ſuſceptæ deliberationi. Ideo faciles ei ſunt prædictiones de futuris. Sic,* addit, *Lichtenbergius prædixit bellum Bavaricum, quia diabolus vidit conſilia Maximiliani, Palatini & aliorum principum.* Attamen facilius etiam, quam nos, Divinæ præſcientiæ di-

ſcri-

ſcrimen a ſua noſcunt Dæmones. Vti CONSERVATIONEM crea-
turarum etiam ad viliſſimas *beſtias* ſe extendentem ſe noſſe
teſtatæ ſunt illæ diabolorum legiones, †) non niſi permitten- †) Matth.
te Chriſto *porcos* intrare potentes. quæ etiam ſuis precibus*) VII, 31.
fatentur *regiones* terræ ita ſubeſſe Divinæ tutelæ, ut ad nutum Marc.V.11
DEI inde ipſis mox cedendum ſit. Singularem *piorum* conſer- Luc.VIII,
vationem & benigniorem ad ipſorum opera concurſum ſe in 32.
Jobi exemplo dudum agnoviſſe coram DEO indignabundus *) Marc.
profitetur †) hoſtis piorum malevolentiſſimus : *Nonne tu po-* V. 10.
ſuiſti ſepem circa eum, & circa domum ejus, & circa omne quod †) Job.I,10
ejus eſt, circumcirca? operi manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ipſius
excrevit in terra. Qui etiam in eodem Jobo affligendo, te-
ſtante ſancto ſtilo, ultra limites praeſcriptos procedere non
potuit. *) nunc *cavere ne tangat ipſum* neque carnaliter neque
ſpiritualiter, neque manifeſte neque latenter : nunc, quan- *) Job.I,12.
tumcunque carnem & oſſa ejus diſcruciaret, *animæ* tamen II.6.
parcere, ne appropinquaret ei, neque communicaret, neque
commiſceretur, neque ſeduceret, neque obtunderet, neque
infatuaret, neque fatigaret, neque deciperet, neque corpo-
re ejiceret. Uti verba DEI iſthæc explicat Auctor Com-
mentarii in Jobum inter *Origenis* opera (h) comparentis. Ex
quibus facile etiam patet, Divinam CIRCA MALA culpæ atque
pœnæ providentiam Dæmonibus quoque exiſtere quam
maxime cognitam, ut lapſorum hominum æque ac ipſorum-
met inter creaturas DEI tolerantia quotidie docentur; Ipſos
etiam iræ Divinæ miniſtros prodente Scriptura quod enim
ea alibi †) dixit : *Ira DEI concitata eſt adv. Iſraël*, id alibi *) †) 2. Sam.
effert : *Et ſtetit Satan contra Iſraël.* Nimirum uti Micha poſtea XXIV, 1.
†) viderat *Dominum* in ira conſultantem. *Quis perſuadebit* *) 1. Paral.
Achabo, ut cadat Ramothi? Coram quo progreſſus *ſpiritus men-* XXII, 1.
dax dixit : *ego perſvadebo.* †) 1. Reg.

(a) *Conf.* Petavius *Dogm. de Angelis* I, 9. p. 33. (b) Editus a XXII, 20.
God. *Arnoldo* cum Conſil. & Reſponſis Theol. ſub tit. Der 21. 2.Paral.
Weißheit Garten-Gewächs p. 865. (c) *in Libros Regum* XIIX, 19.
p. 35. Edit. Huetii. (d) *in Numeros* Homil. XXIII. Ed Grynæi 20.
pag. 233. ſq. *Conf.* id *Contra Celſum* L. IV. p. 717. (e) *de Tri-*

 nit.

nit. IV, 17 Huc pertinet integer ejus liber *de Divinatione dæmonum.* (f) v. Laudati Porſtii Hiſtoriſche Nachricht und Prüffung p. 49. 124. (g) *In Geneſin* c. 37. 9. fol. 1139, b. T. IX. Altenb. (h) p. 388. 410. ſq. Edit. Grynæi.

§. X.

De Con- Tertii operis Potentiæ Divinæ, CONSVMMATIO-
ſummati- NIS VNIVERSI notitiam ſatanæ haud obſcure tribuere vide-
one ſeculi tur Johannes, *) ſeu potius cælicolarum chorus, eum ita fer-
*) Apoc. ventiorem dicens quod *ſciat modicum temporis ſibi ſupereſſe.* Ni-
XII, 12. mirum cum, dicente Paulo, †) in fine omne imperium o-
†) 1. Cor. mnis poteſtas & potentia abolenda ſit, norunt *κοσμοκράτο-*
XV, 24. *ρες τȣ σκότȣς αἰῶνος τȣ́τȣ* non ſolum ſuam quoque poteſta-
tem & regnum tenebrarum etiam tum eſſe abolendum, ſed
*) 1. Pet. norunt etiam Scripturam dicere *) appropinquaſſe finem o-
IV, 7. mnium rerum. Sic Maximilla, per quam *Epiphanius* a) Diabo-
lum dicit ridiculos errores, uti & per alias mulieres, evomu-
iſſe, jam ſeculo ſecundo dixit: *Poſt me nulla amplius erit prophe-
tiſſa, & finis ſequetur.* Et *Euſebio* b) referente, Theodotus ac
alii Montaniſtæ ſe ex mirabilibus quas jactabant apparitioni-
bus dixerunt accepiſſe, *mundum brevi collapſurum eſſe.* Quot
vero ab illo tempore idem dixerint, eodem ſpiritu impellen-
te, ejusdem furfuris prophetiſſæ ac prophetæ, & noſtro eti-
amnum ævo vel ipſum annum determinando repetierint, non
opus eſt ut pluribus recenſeamus.

a) *Hæreſi* LXXIX. p. 1058. & *Hær.* XLXIII. p. 403. b) *Hiſt. Eccleſ.* V. 13.

§. XI.

De Angelis Jam, an eorum quoque, quæ in effectis operum Divi-
norum occurrunt rationi humanæ inacceſſibilia, dæmones
notitiam habeant videamus. Nobiliſſimæ Divinarum creatu-
rarum Angeli ſunt & homines. ANGELORVM commu-
nem ſecum naturam forte melius etiam noſcent quam homi-
Matth. IV, nes. Angelorum eorum qui originem ſuam cuſtodiverunt
6. functionem eſſe *ſanctos in manibus geſtare, ne pedem offendant*, ſi-
Luc. IV, bi ex Scriptura conſtare teſtatus eſt, cum ſalvatorem tenta-
10. ret, diabolus. Etenim ipſum ſemet miſericordiæ nonnihil
conſe-

conſecuturum inde ſperaſſe, ſeque inter angelos DEI ſeu Chriſti computaſſe, quod hinc colligit *Epiphanius* (a), haud dubie error eſt. Ipſe enim ſe ab adventu Chriſti gravius judicium exſpectaſſe alibi eſt profeſſus, ut p. p. videbimus. Libentiſſime tamen *ſpeciem angeli lucis* aſſumit, revelante nobis iſtud †) Apoſtolo. Sic non modo olim, ſed recentiſſime Sevennenſibus etiam ipſum pro *Gabriele* b) ſe venditaſſe legimus. Columba illa Croſſenenſis (c) de qua p. a. quæ ſe etiam angelum dicebat ac *legatum S. S. Trinitatis*, cum moneretur ut coram ſeculari ac eccleſiaſtico magiſtratu proferret, quod haberet indicandum, juſſit *ſcripturam perquirere; ubi inventuri ſint angelos non cuicunque revelaſſe, quæ ipſis fuerint expedienda.* Bonos tamen angelos ſemper experiuntur Dæmones auſis ſuis fortiſſime *reſiſtentes*. Sic *Michaelis & angelorum ipſius* contra draconem huiusque angelos *victoriam* Johannes *) ſacris literis conſignavit. Danieli Prophetæ †) *angelus* memoravit ſe *opitulante Michaële Archangelo depugnare non ſine victoria* contra principes Dæmonum qui regias Perſarum & Græcorum aulas occuparant. Judas *) *Michaëlis archangeli* cum diabolo de *corpore Moſis certamen* indicat, & *commiſſam Deo ſententiæ* pronunciationem, dum dixerit: *Increpet te Dominus.* Neque illud *diſcrimen* bonorum angelorum a malis ignotum eſſe poteſt Dæmonibus, quod cum illi †) *ſemper videant faciem Patris cæleſtis*, ipſi Dæmones *) veniant nonnunquam ſaltem, & mox rurſus exeant a facie Domini. De ipſorum Dæmonum operationibus, quæ nobis revelat S. codex, ipſismet intime cognita eſſe nemo negaverit. Quando, cur, & quomodo, ac quo eventu ab origine ſua defecerint, non certe ignorabunt. Nec erravero, ſi ipſos in *ſui cognitione*, ſi vellent, poſſe ſaltem ulterius procedere aſſeruero. Eleganter hanc in rem Auctor *Commentarii Origeniani in Jobum* d) Verba DEI: *Incitaſti me contra eum, ut perderem ſine cauſa* ita explicat: *Ob hoc rem atque filios ejus perdere permiſi, ut appareret Jobi juſtitia & diaboli injuſtitia, mea veritas & diaboli mendacium, meum teſtimonium & iniqui illius blaſphemia, Non quod diabolo placere voluerim, ſed totum mundum informare feſtinans, quæ ſit mea juſtitia & diaboli iniquitas, livor quoque ejus & invidia, & quæ ſit juſtorum fides & tolerantia vel dilectio circa me.*

†) Cor. XI, 14.

*) Apoc. XII, 7.

†) Daniel. X, 13. 20. 21.

*) Epiſtolae v. 9.

†) Matth. XIIX, 10.

*) Job. I, 7. 12. II, 2. 7. &c.

(a) *Hæreſi* XXXIX. p. 289. (b) v. Wierus *de Præſtigiis dæmonum* L. 10. Porſtius *de Inſpiratis* p. 60. (c) v. *Hiſtorica de ea relatio* vulgata cum B. Aug. *Pfeifferi* de eadem Reſponſo, §. 15. (d) *In operibus Origenis* p. 407. Paria fere Macarius *Homil.* XXVI. §. 8.

§. XII.

De Homine. HOMINIS triplicem ſtatum, integritatis, corruptionis, & reſtitutionis quæ attinent, ipſi homini citra revelationem ſunt incognita. Ex iis autem quæ nobis revelata ſunt Divinitus, deprehendimus de PRIMÆVO hominis STATV ſtatim diabolo quoque plura conſtitiſſe. Vti enim probabile eſt Spiritum, ſuperbia ante jam tumentem, & a DEO ſe alienantem, cum *Divinam* de creando ad imaginem DEI hominem *deliberationem* audiret, (quippe quam utique SS. Trinitas non quidem cum creaturis extra ſe, attamen propter eas, & ut illi de dignitate producendi poſtremi operis manuum DEI reſciſcerent, inſtituiſſe videtur) invidiam inde concepiſſe & apertius forte rebellaſſe: Ita ſane & invidiæ hujus & ſuæ de IMAGINE DIVINA notitiæ notas prodidit in ſuo cum Eva colloquio, ei perſuaſurus acquirendam eſſe adhucdum, non
Gen. III, 5. jamdum poſſideri ab ipſis Divinam imaginem. *Eritis*, inquit mendax homicida, SICUT DEUS. Nec *vita paradiſiacæ*, nec eorum, quæ illic ad victum permiſſa, quæ prohibita, ignarum eadem oſtendit hiſtoria. Ex eo enim ipſo mendacii ſui fundamentum, ſumſiſſe deprehenditur. Cum enim a DEO ipſo arbor ſcientiæ boni & mali agnominationem accepiſſet, & quidem ut laudatus p. a. de Patria mea meritiſſimus Theologus Chriſt. *Chemnitius* (a) ait, quod *ara quaſi & templum eſſet in quo experiretur homo, quam bonum eſſet DEO obedire, & quam malum rebellare;* patet id ſibi velle diabolicum illud *Eritis ſicut DEVS*: Nequaquam DEO eſtis ſimiles. novit DEVS bonum & malum, ut arboris hujus nomen teſtatur. id vos ignoratis quousque non comederitis ex illa arbore, tum demum DEO ſimiles manifeſte eritis. Quamvis autem, eodem haud dubie magiſtro hoſte hominum, & inter gentes Philoſophi nonnulli, &
Marc. V, 12. 13. inter Chriſtianos Manes cum aliis hominem, qua *animam* præſertim, in eandem cum beſtiis claſſem referre voluerint: ipſi tamen

tamen ſe noſſe faſſi, & confirmati ſunt Dæmones, pluris eſſe
DEO vel unius hominis animam (b) quam bis mille beſti-
arum. At notitia *cogitationum hominis*, uti ad Theologiam
diaboli non pertinet, ita nec unquam ei in Scriptura tribui-
tur, quæ iſtam ſoli DEO *) vindicat. Dubium tamen non *) Jer.
eſt ex penitiore affectuum hominis cognitione, objectorum XVII, 9.
ipſi oblatorum annotatione, vel etiam quod ipſemet eas ſug- 10.
geſſerit antea, factum eſſe ut per obſeſſos, pythonas, appari- 1. Reg.
tiones, & noviſſime in *Sevennenſibus* (d) adſtantium aliorum IIX, 39.
etiam cogitationes ſic ſatis veraciter manifeſtarit. Nam de *Act.* I, 24.
iſtis quoque, quas ipſimet Dæmones homini ſuggerunt, co-
gitationibus, an & quomodo ſuſceptæ fuerint, non ipſos ab-
ſolute certos eſſe poſſe, bene notavit *Caſſianus*. (d)

(a) in Diſp. *de arbore ſcientiæ boni & mali* §. 41. (b) Urget contra *Manetem* hoc argumentum *Epiphanius* hæreſi LXVI. p. 6512 (c) v. Laud. *Porſtius* l. c. pag. 52. ſq. (d) *Collat.* VII. c. 1.5. *conf.* Petav. *dogm. Theol. de Angelis* I, 7. 9, & Macar. *Homil.* 26. §. 9. ſq.

§. XIII.

Corruptionis humanæ, cujus ſe & auctorem, & con- *De Pecca-*
ſervatorem, & delatorem, & dynaſtam novit diabolus, omni- *to.*
um minime poterit ignarus exiſtere. Qui nunquam pecca-
vit, ægre forte quid PECCATVM ſit cogitatione aſſeque-
tur. at diabolus, cum ab initio peccet †) ex penitiſſima ex- †) 1. Joh.
perientia ſvadere ac tradere potuit protoplaſtis *) *ſcientiam* III, 8.
boni ac mali. In qua cum DEI fingeret conſiſtere imaginem, *) Gen.
revera ſuam homini impreſſit. Ut (a) non ſit amplius ho- III, 5.
mo velut ex DEO natus, ad imaginem & ſimilitudinem Di-
vinam, ſed velut *) ex patre diabolo ad ejus imaginem & ſi- *) 1. Joh.
militudinem. Sicque, ut *Irenæus* (b) loquitur, *per hominem* III, 8.
traducta eſt apoſtaſia diaboli, & examinatio ſententiæ ejus homo fa- Joh. VIII,
ctus eſt. Cujus nempe naturam, cogitationes, figmenta, cu- 44.
pidines & intimos cordis receſſus ubi examinaveris, men-
tem ac ſententiam diaboli comperies, non DEI ſimile quid- *De Peccato*
piam, nihil divinæ imaginis. Hæc eſt illa ORIGINALIS *Orig.*
LABES, ſerpenti antiquo non ignota, qui & †) Evam de- †) 2. Cor.

 cepit XI, 3.

*) Rom. V, 12. cepit in aſtutia ſua, &, cum in Adamo *) omnes peccaverimus, inde poteſtatem accepit in homines, ut †) *fortis &*
†) Matth. XII, 29. Marc. III, 21. Luc. XI, 2. *armatus* exinde extiterit, cujus *vaſa* ut idem *Irenæus* ait (c), *& domus nos eramus, cum eſſemus in apoſtaſia. utebatur enim nobis, quemadmodum volebat, & ſpiritus immundus habitabat in nobis. Non enim adverſus eum, qui ipſum alligabat, & domum ejus diripiebat fortis erat, ſed adverſus eos qui in uſu ejus erant homines, quoniam abſcedere fecerat ſententiam eorum a DEO, quos eripuit Dominus.*

*) 1. Joh. V. 19. 2. Cor. IV. 4, Eph. VI, 12. Unde *) *totus mundus in maligno poſitus*, & ipſe *DEVS hujus mundi* & dæmones κοσμοκράτορες τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου dicuntur S. literis. Cujus rei eo penitior, quo jucundior ipſis inde extitit ſcientia. Cumque in ſervanda ac adſtruenda ſua tyrannide ſollicitiſſimi exiſtant, neque illa ipſos latent quæ de

De peccatis actualibus. PECCATIS ACTUALIBUS nos docet revelatio. Cum & illi qui ex diaboli poteſtate liberati, ubi peccaverint, poſtliminio quaſi in tantum ipſius imaginem repetant, & denuo

†) 1. Joh. III, 8. *) Eph. II. 2. †) *ex illo ſint.* Unde non tantum intus *) *in filiis incredulitatis efficaciter agit*, ſed impios quoque forinſecus †) *ignea ſua tela* jaculatur, ut recuperet eos. Nam niſi *caveamus*, ut bene monet Ori-

†) Eph. VI, 16. genes, (d) *ubi jecerit ſagittam, mox etiam obſervat tempus ingrediendi, exemplo Judæ proditoris.* Et ſane ſuggerere Satanam homini

*) Joh. XIII, 2. †) 1. Paral. XXI, 1. *pravas cogitationes* Scriptura teſtis eſt uberrima, quæ non modo Judæ impio in cor immiſiſſe eum dicit, *) ut proderet Salvatorem, ſed & pio Davidi ſuggesſiſſe, *) ut numeraret populum. Et quanta hic fraus, quot technæ exiſtant Satanæ, quantum calleat omnes aditus, ut peccata nunc extenuare nunc exaggerare noverit, nemo neſciet, qui tentationes Satanæ eſt expertus. *Diſputat* enim, *poſtquam per transgreſſionem malitia* ſive Satan *introivit, ſingulis horis cum anima ut homo cum homine*, uti pius abbas *Macarius* e) etiam teſtatur. Vbi ſimul obſervo, Macario hic & aliis in locis, æque ac aliis antiquioribus Eccleſiæ doctoribus, diabolum *malitiam* pariter ac *malum*

*) Rom. VIII, 8. & *peccatum* dici. Sicut *Epiphanius* f) Paulum ipſum diabolum *peccati* nomine exiſtimat appellaſſe, dicentem: *) *Peccatum occaſione ſumta per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Certe quicquid dæmones agere, provehere, eſſe, producere, in ſe atque aliis noſcere amant, peccatum eſt. Neque

que ignorantes forte peccant, aut delectantur peccatis hominum, neſcii ea peccata eſſe. Norat certe diabolus peccatum eſſe DEOque exoſum, †) ſi Jobus DEVM ſui ſaltem commodi cauſa, & quod ipſi inde bene ſit, religioſe coleret. Et niſi noſſet peccata hominum eſſe *deflexiones a Divina lege*, quid quæſo haberet; quo illos *die atque nocte DEO deferret*? *) Hinc non ſaltem tentatis a ſe, ſed per obſeſſos vel pythonas aliis quibuscunque abditiſſima ac ipſismet non animadverſa vel dudum obliterata peccata exprobare poteſt. Cujus rei & *Sevennenſes* Inſpirati exemplum g) dediſſe leguntur. Vti & perſonatus Samuel in Saulis exemplo non ignotum ſibi eſſe teſtatus eſt, quid ſit a DEO eſſe remotum & ipſum inimicum habere. Quippe nec Poenae Peccati ignari ſunt dæmones, gaudentes & *morte ſpirituali* peccatorum, cum DEVS vita hominum propter peccata ipſorum recedit ab iis. & ex MORTE CORPORALI eorundem triumphantes. Equidem nos ipſi, niſi quotidie videremus alios alii mortem oppetere, nullum forte unquam mortis conceptum aſſequeremur. At *homicida* *) ille, antequam ullus unquam mortuus eſſet, mortem invidia ſua in mundum †) introducturus, mortis corporum quoque notitiam habebat, DEO, cujus *) verba rectius quam ipſa Eva ſervaverat impudentiſſime contradicens: *Nequaquam morte moriemini.* Dynaſta quippe mortis, †) *penes quem eſt robur mortis* Apoſtolo teſte. Nam *quod DEVS verax*, dicente eleganter S. Irenæo, h) *mendax autem ſerpens, effectu oſtenſum eſt, morte ſubſecuta eos, qui manducaverunt. Simul enim cum eſca mortem adſciverunt, quoniam inobedientes manducabant. Inobedientia autem DEI mortem infert. Propter hoc ex eo traditi ſunt ei, debitores mortis effecti. In ipſa itaque die mortui ſunt, in qua & manducaverunt. Sive enim ſec. inobedientiam quæ eſt mors, ſive quod exinde traditi & facti ſunt debitores mortis, ſive ſec. unum & eundem diem in quo manducaverunt & mortui ſunt, quoniam una creationis dies (ſive ſec hunc circulum dierum quia in iſta mortui ſunt in qua manducaverunt, h. e. paraſceve, quam & Dominus oſtendit paſſus in ea, ſive ſec. quod non ſit ſuper greſſus mille annos, ſed in ipſis mortuus ſit,* dies Domini enim ſicut mille anni) *ſec. omnia quæ ſignificantur,*

†) Job. I, 9. ſq. II, 4.

*) Apoc. XII, 10.

†) 1. Sam. XXVIII, 16.

De Morte.

*) Joh. VII, 44.

†) Sap. III, 24.

*) Geneſ. III, 4.

†) Ebr. II. 14.

cantur, DEVS quidem verax, ſerpens autem mendax oſtenſus eſt. Imo nec expectare potuit mortis doctor, dum naturale vinculum ob peccata ſolutum quempiam morti traderet, ſed protoplaſtis, antequam ipſi mortem experirentur, mortis notitiam dare voluit, per *Cainum*, *) diaboli imaginem ſervantem, in occiſo violenter fratre mortis cito ſuggerens exemplum. Ita & alios quosvis morti ante diem traditurus, niſi DEVS, uti Jobi exemplum †) docet, prohiberet. Circa *piorum* enim *mortem* ignotum eſſe dæmonibus nequit, omnem ipſis poteſtatem omne robur eſſe*) extinctum. Cum Chriſtus, quem, num alias non poſſent, morte corporis ſibi ſubjicere occeperant, morte triumphaverit de illis, ut etiam ideo a piis Chriſtum morte ſua teſtantibus †) vincantur ſumma ſui cum ignominia. Quamvis ipſos & ſanctorum *mortuis corporibus* attendere, eaque ſibi poſcere, certamen eorum de corpore Moſis, *) ipſis non ignoto, licet DEVS ab omnibus hominibus abſcondiſſet, probare videatut.

*) 1. Joh. III, 12.
†) Job. II, 6.
*) Ebr. II, 14. Hoſ. XIII, 14.
†) Apoc. XII, 11. 1. Cor. XV, 57.
*) Judæ 9.

a) Conf. Cel. *D. Zeltnerus* in Diſp. *de Imagine diaboli loco divinæ.* Latius ubi explicatam hanc diaboli imaginem habes inpr. §. 14.--17. b) *Adv. Hæreſes* V, 24. c) *Adv. Hæreſes* III, 8. d) *In Johannem* Tom. 32. p. 408. Ed. Huetii. e) *Homil.* XI. §. 15. *Conf.* Præſide S. V. Theologo *D. Fechtio* MDCCVI. a Cl. J. H. *Lochnero* habita Diſſ. *De Suggeſtionibus Satanæ.* f) *Hæreſi* LXIV. p. 582. g) *Porſtius* l. c. p. 53. 125. ſq: h) Adv. Hæreſes V, 23.

§. XIV.

De Pœnitentia.

Status enim Restitutionis hominem dæmonibus ſollicitius quoque cognitus deprehenditur. In quem nullus homo ſine acerbiſſimo illis ſenſu translocatur, unde eripientem homines ipſorum imperio violentiam, & accedentia illis privilegia, & reſiſtendi vires, & reſtitutorum officia, prærogativas, armaque penitiſſime noſcere avent, ut ſeducere denuo, & vel illius ſtatus figuram ſibimet induendo, ſubque machinationibus prætexendo facilius fallere queant. Primus emergendi ex poteſtate Satanæ gradus eſt POENITENTIA, dæmonibus contemtisſima quidem & faſtidioſisſima, non tamen ignota. Scripturam quidem non reperimus hanc notitiam ipſis

pſis expreſſe tribuere. Neque ipſos unquam pœnitet, niſi fraudis forte non callide ſatis ſuſceptæ, ipſosmet tamen variis formis indutos ſæpenumero ad pœnitentiam homines incitaſſe omnium ſeculorum teſtatur hiſtoria (a). Idque ipſum eſt primum plerumque, quo organa ſua commendant, uti huc ideo Sevennenſes b) quoque referunt Theologi. Neque iis *mutatio mentis* eorum, qui aliquando illorum fuerant, perſpici nequit. *Peccatorum agnitionem* certe & *contritionem* maximam, ac deſperabundam etiam, qui ex maligno erat, *) Cain teſtabatur. Piosque docent tentationes Satanæ, quam pronus ſit ad illa ſuggerenda. FIDEM autem ulli concedere nunquam ſuſcipiet. Atque fidei myſterium diabolis videtur abditiſſimum. Neque tamen *ſcutum* illud, †) quod toties ignitis ejus telis objicitur, incognitum plane ipſi eſſe poterit. Cumque noſcat eam *promiſſionibus* Divinis niti, inde eſt, quod illas aut in ludibrium vertere tentet, aut ad firmandam quaſi *πληροφορίαν ſigna poſtulare* inſtiget, ut olim mœchantem ſecum Phariſæorum *) gentem. Nec ergo latet ipſum, fidem eſſe quæ *vires* †) dat fortiter ipſi *reſiſtendi* ipſumque *fugandi*. Qua ſicut exuitur ipſius imago, ſic imago Divina reducitur. Ex qua, velut ex ungue leonem *DEI ſervos* agnoſcit & in ſtatum gratiæ reſtitutos. Quam ei notitiam DEUS ipſe haud obſcure tribuit, iterato dicens: *) *Annon animum advertiſti ad ſervum meum Hiob, quod non ſit ſimilis illi in terra, vir integer & rectus, timens DEVM & recedens a malo?* Et quamvis diſſimulare velit ſuperbus hoſtis animadverſionem illius, reſponſione tamen ſatis prodit, quam ſollicite ipſum noſcere ſtuduerit. Ut inde ad verba Satanæ, cum is ad DEVM revertiſſet, & unde veniret, quærenti, antiquam reſponſionem *circuivi terram* regesſiſſet, non male annotet tributus *Origeni* Commentarius c): *Subtiliter fingis o diabole, humiliationem tuam tegis, confuſionem tuam minime depromis, quod a luto conculcatus fueris, quod a terra devictus, quod a pulvere fueris ſuperatus. Lutum enim & pulvis & terra eſt Job propter terrenum corpus.* Certe, dum ait Satan: *Num gratis timet Job DEVM?* monſtrat, ſe probe noſſe vera BONA OPERA non eſſe, quæ non procedant ex vera ſcaturigine, in

*) Gen. IV, 13. 1. Joh. III, 12.

De Fide

†) Epheſ. VI, 16.

*) Matth. XII, 39.

†) 1. Pet. V, 9. Jac. IV, 7.

*) Job. I, 8. II, 3.

De bonis operibus.

DEI tantum laudem, adque gratum teſtandum animum, ſed ſui ſaltem commodi cauſa. Ita enim benè verba iſta παραφράζει *idem* Commentator: d) *Non pro tua dilectione te colit, neque propter tuam beatitudinem gratias agit, ſed pro pecuniæ hujus blandimento te colit, ſed propter beatitudinem ſuam, rerumque plurimarum, quas hic poſſidet, copiam quam dediſti ei* non quod te datorem fateatur, ſed ut ea ipſi ſerventur, *tibi gratias agit.* Cumque idem calumniator dicat: *pellem pro pelle & omnia quæ ſunt viro dabit pro anima ſua*, oſtendit itidem conſtare ſibi PATIENTIAM veram & animi in adverſis moderationem non eſſe, quæ amore ſui & ſtoicæ tranquillitatis ac ſcepticæ ἀπαθείας omnem amorem ſuorum & naturalem quoque στοργὴν exuat, & modo illa pellis ſervetur, e) alia omnia caſui objiciat. Ex eo etiam, quod *ignem de cœlo* fecit abſumere greges Jobi docet citatus *Commentator* Origenianus f) colligere, quod probe norit Satanas, quantum caveant ac doleant pii DEVM iratum ſentire, ita enim παραφράζει verba nuncii: *non, ut tu arbitraris o Job, eſt ex hominibus hic incurſus, hæ inſidiæ, ſed ex DEO eſt, de cœlis eſt. Ignis cecidit non ex ſe, neque per ſe, ſed cœleſti juſſione atque terribilis DEI præceptione, quemadmodum olim in Sodom & Gomorram.* Non igitur omnino verum eſſe videtur, quod *Auguſtinus* g) dicit: *dæmones, ſi virtutum internam ſpeciem poſſent in hominibus cernere, non tentarent. Sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio ſi poſſet diabolus cernere, nollet a tentato ſuperari.* Utique diabolus, ſalva notitia virtutum Chriſtianarum, non optima ſed peſſima potius quæque præſumit, quæ ipſius virtus eſt, & utique ſuperari ſe non vult, neque perſeverantem tentatorum fidem prævidet: at ob id ipſum tamen tentat, ut e perſeverantia deturbet, nec, ſi prævideret ſe ſuperandum eſſe, ideo deſtiturus eſſet a fidelium vexatione: quem juvat iis quomodocunque ægre facere, cum norit præſertim, quam incognitum ſuis exiſtat CRUCIS myſterium, & quantum proficiat, ſi pii præ aliis adflicti conſpiciantur. Neque ipſum tamen plane latet illud crucis myſterium, quod vel ex *Jobi* exemplo didicit, cum DEVM probe norit non ſine cauſa nec inſipienter quidquam admittere.

De Cruce.

Vnde

Vnde nec *ſpiritualis* piorum EXPERIENTIA, quam patientia ipſorum operatur, ignota illa manet, cujus quippe exiſtit adminiſter, perpetuæ †) *luctæ* etiam materiam præbens. Sicque ipſe DEVS indicavit *) Satanæ, Jobum ſe *roborare* adhuc in ſua integritate. Nec ignota inde ipſi *arma* piorum exiſtunt. Experitur aciem †) gladii ſpiritus *verbi DEI*, ab ipſo Chriſto ita victus. Appoſite *Irenæus*, h) poſtquam hominem examinationem ſententiæ diaboli h. e. imaginem diaboli dixerat, ſubjungit: *omnium autem artifex verbum DEI per hominem vincens diabolum & apoſtatam oſtendens, e contrario ſubjecit eum homini, Ecce, dicens, do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici. Vt quemadmodum dominatus eſt hominis per apoſtaſiam, ſic iterum per hominem recurrentem ad DEVM evacuetur apoſtaſia ejus.* Sic torquet eum procul dubio notitia thoracis *) *juſtitiæ*, nam, ut eleganter Auguſtinus i) *placuit DEO, propter eruendum hominem de diaboli poteſtate, non potentia ſed juſtitia diabolus uinceretur: atque ita & homines imitantes Chriſtum juſtitia quærerent diabolum vincere, non potentia.* Neque cingulum †) *veritatis*, neque ocreæ *promtitudinis* evangelicæ, neque galea *ſpei* fugiunt ipſorum notitiam, qui toties iis arcentur dæmones. Et omnium minime ORATIONIS ignari exiſtunt & efficaciæ illius. *Ad DEI* enim *invocationem contremiſcunt dæmones, & omnis ſubjecta virtus*, ut *Irenæus* (k) loquitur. Hinc orationi quam maxime ſe opponunt, ut ad eam tanquam ad communem luctam invitare Romanos neceſſe habeat Apoſtolus, *precor* dicens, *) συναγωνίσασθαι μοι *ut mecum luctemini precibus pro me apud DEVM. Oſtendit*, notante Origene, (l) *quaſi agonem habeat & ipſe certamen orationis, adverſantibus ſibi ſine dubio illis, de quibus dicebat: non nobis certamen eſt adverſus carnem & ſanguinem. Et certum eſt, quod iſti omnes ſicut adverſantur fidei & reſiſtunt pietati, ſicut contrarii ſunt juſtitiæ & veritati & omnibus bonis, ita ſine dubio & orationi adverſantur, primo in illo ne talis inveniatur, qui in orationis agone deſudat, ut levet puras manus ſine ira, quod & ſi quis obtinere poſſit ut ſine ira ſit, vix eſt ut effugiat eſſe ſine diſceptatione h. e. ſine ſuperfluis & vanis cogitationibus.* Ex quibus omnibus patet ampliſſimam dæmonibus de-

†) Eph. VI, 12.
*) Job. II, 3.
†) Eph. VI, 17.
Luc. X, 19.
*) Eph. VI, 14.
†) Eph. VI, 14. 15. 17. 1. Theſſ. V, 3.
De Oratione.
*) Rom. XV, 30.

homine reſtituto etiam ſuppetere notitiam. Imo mireris nec SECRETIORA Sanctorum bona, illum devoti pectoris ardorem, illud reconciliatæ mentis gaudium, illam tranquillitatem, illas delitias, illam in DEO heroicam confidentiam, tam abſtruſa eſſe, quin & dæmonibus ea cognita exiſtant. Quod perſpicimus, ſi fraudes eorum diligentius obſervaverimus. Dum noſcunt enim ſe adverſus virtutem armaturæ ſpiritualis non profecturos, detrectant aperto marte congredi: ſed ſpiritualibus ſe immiſcent, & illorum ſpecie ſe inſinuant non ſatis cautis etiam ſanctiſſimis. Multiplices enim ſunt horum impoſtorum †) μεθοδεῖαι, & alia ſemper via atque iterum alia homines aggrediuntur, ſi fugati fuerint per priorem. Tantum abeſt, ut ex lucta cum fidelibus eousque evadant doctiores, ut victi pugna excedentes cæſtum artemque ponant, & non amplius hominibus ad nequitiam ſolicitandis operam ſuam conferant. Quod *Origenis*, (m) vel Origene antiquius etiam commentum nullo ſcripturæ fundamento nititur. Rectius idem *Origenes* (n) dum hiſtoriam ſanati lunatici ad allegoriam transfert: *non errabis*, inquit, *ſi ejusmodi ſpiritualiter lunaticos dixeris dejici a ſpiritualibus nequitiæ in ſupracæleſtibus, & perſæpe male habere, quo tempore nempe animos illorum invadunt affectus, cadentes nonnunquam in ignem inflammationum: quando fiunt, juxta dicta in Oſea, *) adulterantes velut clibanus ſuccenſus a flamma ad coctionem ambuſti: aliquando in aquam &c.* Certe enim cum Hoſea non de venerea libidine, ſed de devoto idolorum cultu loquitur, quem diabolus tam æmulum ardori cultus & precum ſanctorum producere poteſt. Ita Cardinalis *Bona* ex Richardo (o) *dæmones* ait *falſa devotione interdum decipiunt, quia quasdam orationes & mediationes,* DULCEM AFFECTUM & LACRIMAS *in anima producunt, ut vel mentem in errorem, vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem. Male quosdam de ſalute aliorum incitant*, ſc. ut ſibi ipſis minus attendant. Idem *Diadochi* ſententiam refert, *dæmonem interdum* LUMINE *quodam falſo & apparenti animam afficere, quæ res multos feſellerit. Si quæ enim*, addit, *ſvavitas inde oriatur, ſenſus non excedit, mentemque elevat in ſuperbiam & ſui æſtimationem.* Pluresque

De bonis Sanctorum

†) Eph. VI, 11.

*) Hoſ. VII, 4.

que etiam in eodem *de diſcretione Spirituum* libello Satanæ technas huc ſpectantes detegit. *v. g. ut vix ingreſſi viam perfe-ctionis, repentino ac temerario ſaltu ad* ALTIORA *præſumant adſcendere, nondum eradicatis pravis habitibus, nondum in virtute probati. Vt cum cœperint guſtare quam dulcis ſit dominus, vana ſui* CONFIDENTIA *ſe periculis temere exponant.* Sic *Gerſon* (p) quoque in libello *de diverſis diaboli tentationibus: Nonnunquam* ait *ingentem mirabilemque dulcedinem in modum ſimilitudinemque* DEVOTIONIS *inducit, ut in hujusmodi* SVAVITATE *hominis tota conquieſcat fruitio. Nonnunquam ſub* HUMILITATIS *ſpecie & ſeſe cuſtodiendi facit, ut quis ſileat ex contemtu, iracundia, ſuperbia, vel, cum loqui deberet, ex vecordi puſillanimique metu reticeat. Nonnunquam agit hoſtis, ut ſancta intentione quis loqui incipiens, continuando ſermonem ad plura defluat inordinate dicendo.* Ex quibus pateſcit, dæmones etiam eorum notitiam habere, quæ multi non niſi experientia ſpirituali cognoſci dicunt. Hinc & ad orationem, & preces ſæpe adeo (q) incitavit. Nota eſt in antiqua Eccleſia inde dicta *Euchitarum* hæreſis, quos *Theodoretus* (r) a dæmone deceptos revelationes jactitaſſe, & futura prædicere conatos ſcribit. Sic *Satanianos* a Satanæ cultu appellatos *Epiphanius* (ſ) notavit profiteri Mundo *ſe* RENUNCIASSE *& ſua omnia deſeruiſſe.* Et digna omnino eſt, quæ memoria recolatur *Origenis* (t) ſententia: *Solicite caveamus hæreticos, quæ converſationis optimæ ſunt, quorum vitam non tam DEVS quam diabolus inſtruxit. Nam eſt quædam caſtitas diaboli, i. e. decipula humanæ animæ, ut per iſtiusmodi caſtitatem & manſvetudinem & juſtitiam poſſit facilius capere & falſis ſermonibus irretire. Diverſis diabolus pugnat inſidiis ut miſerum irretiat hominem, & bonam malis tribuit vitam ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conſcientiam.*

(a) Vid. ex recentiſſimis ſaltem B. Aug. Pfeifferi Bedencken von dem Geiſt zu Ober-Croſſen §. 15. 12. & Cph. Henr. Lœberi Bedencken von Offenbahrungen recuſum in Pantheo Anabaptiſtico & Enthuſiaſtico. (b) v. S. Rev. D. Chladenius *de Inſpiratis ſine ſpiritu* p. 34. *Porſtius* de Inſpiratis p. 53. ſq. it. p. 47. 121. c) In operibus *Origenis* edit. Grynæi p. 404. d) pag. 386. e) Conferri meretur J. Marckii *Exegeticarum Exercitati-*

onum XIVta. f) pag. 390. g) *De Geneſi ad literam* XII, 17. h) *Adv. Hæreſes* V, 24. i) *De Trinitate* XIII, 13. k) *Adv. Hæreſ.* II, 5. l) *in Epiſt. ad* Rom. Lib. X. p. 628. m) cujus iſta verba habes *Homil. XV. in Joſuam.* v. *Huetius* Origenian. p. 81. n) *In Matthæum* p. 310. Ed. *Huetii.* o) *De diſcretione Spirituum* c. XI. *Operum* p. 262. p) pag. 264. & p. 318. b. q) vid. Wierus *de præſtigiis dæmonum* L. 10. ac innumeri alii idem teſtantur. De *Sevennenſibus* conf. Summe Rev. *D. Chladenii* Diſp. nupera *de Inſpiratis ſine ſpiritu* p. 34. & laudatus ſæpius *Porſtius* l. c. pag. 47. 48. 121. r) *Hæreticarum fabul.* Lib. IV, c. XI. s) *Hæreſi* LXXX. pag. 1070. t) *In Ezechielem* p. 642. Ed. Grynæi.

§. XV.

De CHRISTO. Non vero ita ſolum hominis reſtituti, ſed & principiorum atque mediorum reſtitutionis illius, hoc eſt, *operum* MISERICORDIÆ *Divinæ* notitiam habere Dæmones deprehenduntur. Primum inter illa merito locum, nemine, ut opinor, adverſante obtinebit illud ὁμολογουμένως μέγα myſterium INCARNATIONIS Filii DEI. Aſſumturum enim fuiſſe DEI Filium in perſonæ unitatem naturam humanam, etiamſi homo non peccaſſet, nullo ſcripturæ fundamento nixi quidam a) aſſerunt. Quod B. Chriſt. *Chemnitius* memorat b) quorundam placitum, Auguſtini & Thomæ Aquinatis auctoritatem prætexentium, qui dicant, ſtatim *ab origine angelis fuiſſe revelatum myſterium incarnationis, quod futurus eſſet quidam homo* θεάνθρωπος *& caput ac Dominus angelorum ac hominum, indeque Luciferum cum ſuis anſam cepiſſe rebellandi, indignum ratos angelica dignitate, ſi homini deberent eſſe ſubjecti, ſicque ejus revelationis memoriam manſiſſe etiam in lapſis*, merito ipſe reſpuit, cum utique, ut addit, *reſtauratio lapſi generis humani finis ſit primarius hujus myſterii.* *Reſtauratorem* illum tamen HOMINEM futurum *ſemenque mulieris*, non viri, ipſe DEVS in ſerpentis ſeductoris pœnam revelaverat. †) Geneſ. III, 15. Non minus autem, quam cum ſanctis aliis Davidem, negantem *) hominem ab alio homine DEO reconciliari poſſe, ſatanam noviſſe *DEVM* futurum iſtum reſtauratorem, videmus exinde, quod Jeſum Nazarenum, quem in ejus baptiſmo *DEI filium* dictum perceperat, talem ſtatim exiſtima-

*) Pſ. XLIX. 8.

ſtimavit †) qui patri ὁμοούσιος omnipotenti virtute poſſit lapides in panem mutare. Hunc tamen, quem tentabat, JESVM, eſſe illum ipſum θεάνθρωπον, non omnino certum illum fuiſſe vel ipſa tentationis probat hiſtoria. Nam, ut bene Auguſtinus c), *quando Chriſtus temporalia ſuæ virtutis effecta paululum ſupprimenda judicavit; & aliquanto altius latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit, an Chriſtus eſſet.* Et ſalva diaboli de Meſſia θεανθρώπῳ notitia, videtur ſervari poſſe *Ignatii* ſententia, quam *Origenes* d) refert, quamque etiam *Hieronymus* & *Baſilius* ſecuti ſunt, *latuiſſe principem ſeculi hujus virginitatem Mariæ vel propter nuptias, quia virum habere putata ſit.* Cum tamen, ut B. Chriſt. *Chemnitius* e) ait, *ſemper potuerit cognoſcere clauſtra illibatæ virginitatis, & idcirco noſſe, ex illa virgine natum eſſe aliquid ſine virili ſemine*, cum *optime*, notante (f) eodem, *ex prophetiarum collatione concludere potuerit hunc eſſe Meſſiam θεάνθρωπον*, cum audire potuerit anunciationem per angelos paſtoribus factam, itemque prophetias & confeſſiones Eliſabethæ, Mariæ, Zachariæ, Simeonis, Hannæ, Magorum, J. Baptiſtæ, Petri, & aliorum; cum dein Miracula JESV *angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum, ut Auguſtinus* g) loquitur, *potius quam infirmitati hominum potuerint eſſe conſpicua*, quin revera cognita fuerint: utique deinde hæc omnia memoria colligens concludere potuit, hunc eſſe promiſſum illud ſemen mulieris. Hinc & dæmones profitentur eum *) *DEI filium* †), *filium DEI altiſſimi* *), *ſanctum DEI*, quaſi reſpicientes Gabrielis †) verba: *ſanctum ex Maria naſcendum dicetur filius DEI.* *Origenes* h) quidem diſtinguit inter principes hujus ſeculi, quos latuerit illud myſterium, & inter dæmones. Et ait, *quod minor in malitia noverit ſalvatorem, qui vero major in ſcelere & verſipellis & nequam, ex eo ipſo, quod in malo major eſt, impediatur noſſe Filium DEI.* Sed ea affert ſuæ hypotheſi de diabolorum reſtitutione inſerviens. Alibi idem i) confert confeſſionem fidelium *): *Vere es filius DEI*, quod dæmoniaci nunquam dixerint. quaſi animo iniquo dæmones eum talem fuerint profeſſi. Sed ipſe Spiritus S. teſtatur †) *noviſſe* dæmones Chriſtum adeoque vere noviſſe, & *manifeſtare* potuiſſe. Rectius igitur

†) Matth. IV. Luc. IV, 3.

*) Matth. VIII, 29. Marc. III, 11. Luc. IV. 41.

†) Marc. V. 7. Luc. VIII, 28.

*) Marc. I, 24. Luc. IV, 34.

†) Luc. I, 35

*) Matth. XIV, 33. †) Marc. I, 34. III, 2. Luc. IV, 41

igitur Auguſtinus: (k) *poſt illam Chriſti tentationem, cum angeli miniſtrarent ei, boni utique & ſancti, ac per hoc ſpiritibus immundis metuendi & tremendi, magis magisque innoteſcebat dæmonibus, quantus eſſet, ut ei jubenti, quamvis in illo contemptibilis videretur carnis infirmitas, reſiſtere nullus auderet.*

a) v. Diſp. J. Frid. Mayeri *Vtrum Chriſtus fuerit in lumbis Adami peccantis* Diſp, Viteb. 1686. habita §. 3. b) *De fide dæmonum* p. 25. ſq. c) *De Civit.* DEI IX. 21. d) *In Lucam* Homil. VI, p. 214, e) *De fide dæmonum* pag. 23. f) pag. 25. Plura dat etiam J. Fr. *Mayerus* in Problem. Acad. *An Chriſtum in ſtatu exinanitionis diabolus pro naturali DEI filio veroque agnoverit Meſſia?* g) l. c. de C. D. IX, 21. h) *Homil. in Lucam* p. 215. i) *In Matthæum* p. 257. 242. Edit. Huetii. k) *de C. D.* IX. 21.

§. XVI.

De Redemtione.

†) Geneſ. III, 15. *) Matth VIII, 29. Marc. I, 24. V, 7. Luc. IV, 3. VIII. 28. †) 1. Cor. II. 8. 7.

Opus REDEMTIONIS, antequam abſolveretur, magis latuiſſe dæmones videtur, quomodo illud exequendum. Norant utique †) *caput ſerpentis conterendum* eſſe, amicitiam hominis cum ſerpente abolendam, *inimicitiam ſubſtituendam*, amicitiam vero cum DEO reſtituendam. Norant ad ſe non ſpectare operis illius fructum. Hinc toties *) ad eum, quem noſcebant Meſſiam, dicebant: *quid mihi tecum?* imo *torturam* ab illo & ſui *perniciem* ſe ſaltem expectare profitebantur. At hoc modo, eventus docuit, opus redemtionis perficiendum eſſe, videntur ignoraſſe. Plures primitivæ Eccleſiæ Patres hanc in rem explicant verba Apoſtoli †) dicentis: ſapientiam illam in myſterio abſconditam prædeſtinatam in noſtri gloriam *nullus principum ſeculi hujus agnovit, nam ſi cognoviſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Certe cum noverint eum eſſe DEVM, qui perdere ipſos poſſet, cruciatus eorum augere, judicium accelerare, cum cernerent eum eſſe ſemen illud mulieris, in quo inimicitiæ illæ adverſus ſerpentem ſatis ſe proderent, inter homines nunc comparentem, ut forti armato vaſa ejus eriperet, virum ſanctiſſimum, doctrina & exemplo plurimas animas ipſis eripientem, conſultiſſimum ſibi duxerunt in id elaborare, ut ex hominum ſaltem conſortio tolleretur, necandumque præſumſerunt, a) non ſane cogitantes vel plane neſcientes, Morte peragendum eſſe redemtionis

tionis opus, quod ſane ex ſacrificiorum typis itemque ex variis prophetiis noſſe potuiſſent. Fuſius hanc in rem *Origenes*, a) diſſerit: *Alius dicit filium, a Deo* Traditum *principi ſeculi hujus cæteriſque principibus ejus, deinde ab iſtis traditum in manus hominum* (videtur plura loca combinare, Petri nempe *) dicentis: *Hunc conſilio & præſcientia DEI traditum ſumſiſtis per manus iniquorum.* Et Pauli †) ajentis *habitantes Hieroſolymis & principes eorum* hunc non noſcentes petierunt a Pilato ut interimeretur) *qui occiderunt eum. ut Jobi bona primum tradita in manus Diaboli, qui ea tradidit prædonibus, ſic & eum tradidit princeps poteſtatis aëris qui operatur in filiis diffidentiæ in manus hominum, in quibus erat & Judas, in quem poſt panem ingreſſus eſt Satanas. Conſidera tamen*, pergit, *quoniam Pater tradens filium contrariis poteſtatibus non ſimpliciter tradidit eum, ſed propter miſericordiam ſuam, ut ſalvaret genus humanum. contrariæ autem poteſtates tradentes Dominum in manus hominum, non pro ſalute aliquorum tradiderunt eum, ſed quantum ad ſe, quia nemo eorum ſciebant ſapientiam DEI abſconditam in myſterio, tradiderunt eum, ut inimica ejus Mors ſubjiceret illum ſibi, ſicut omnes homines qui moriebantur in Adam. Sed & homines qui occiderunt illum, voluntatem habebant non ſec. voluntatem DEI ordinatam, ſed ſec. voluntatem poteſtatum, qua filium DEI volebant fieri ſubditum morti.* Verum ſat cito tamen reſciverunt dæmones veram operis redemtionis naturam. Si *Origenem* (b) ſequimur, Chriſto vix mortuo, Resurrectionem ejus recordati ſunt, & memoriæ pontificum ac ſcribarum ſuggeſſerunt Pilatum accedere & cuſtodes expetere, quod tamen diaboli inſtinctu ipſos feciſſe, mihi fateor perſvadere non poſſum. Viderunt tamen mox dæmones cum ſociis damnatis *) Descendentem *ad inferos*, non ſane tanquam medicum in noſocomium, quod *Origenes* (c) finxit, ſed tanquam uictorem terribilem *captivantem captivitatem.* experti ſunt ipſum veniſſe †) *ut diſſolveret opera diaboli.* reſciverunt ipſum *) *morte ſua deſtruxiſſe eum, penes quem mortis robur, & liberaſſe quotquot metu mortis per omnem vitam damnati erant ſervitutis.* Cognoverunt ſe †) iam *vinci agni ſanguine.* Nec Resurrectio ejus, nec ad cœlos Adscensio, nec Sessio ad dextram DEI ipſos celata deinceps dici poteſt. Qui virtutem

*) Act. II, 23.
†) Act. XIII, 27.
*) Eph. IV, 9. 8.
†) 1. Joh. III, 8.
*) Ebr. II, 14. 15.
†) Apoc. XII, 11.

*) Act. XIX, 15. tem Meriti, Satisfactionis valorem, Regni potentiam quotidie experiuntur. Vt vere jam dicere *) queant : *JESVM novi*. & *Juſtino* teſte *vim Chriſti nominis timeant dæmonia, trementia adjurata per illud.* Et quam accurate omnes partes ſalutaris de redemtione noſtra doctrinæ calleant, vel exinde patet, (e) quod pars ejus nulla ſit, quam non per organa ſua, hæreticos, oppugnare tentaverint, quod ſyſtemata paſſim docebunt. Et quamvis animo veritati adverſante, vere tamen dixit *Przipcovius* Socinianus: (f) *Credis perſonarum οἰκονομίαν Tertulliani, προύπαρξιν λόγȣ Juſtini, Allegorias Origenis, homouſion Alexandri & Athanaſii; credis articulos fidei tot conciliis fabricatos? ecquid in eo habes in quo dæmonibus præſtes? qui, quæcunque vera in iis ſunt, longe melius quam tu ſciunt, & falſa a veris longe perfectius cognoſcunt.* Et quam per obſeſſos prodiderint articuli de Chriſto notitiam, prolixum foret enarrare, & ſupervacuum etiam, cum ex Scriptura de eo ſatis conſtet. *Oraculum* quod Auguſto datum, de defectu oraculorum ſciſcitanti, Ge. *Cedrenus* ex Euſebio, & *Suidas* referunt:

Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀίδην αὖθις ἵκεσθαι.

i. e. *Puer Ebræus diis beatis imperans jubet me hanc domum relinquere, & ad infernum redire*, ſubleſtæ merito fidei eſt viris doctiſſimis. Vti *Sibyllarum* quæ habentur illuſtriſſima de Chriſto vaticinia conſtat pia eſſe diu poſt rei eventum vaticinantium commenta.

(α) Conf. *Theodoretus* in Pſ. LXVIII, 22, (a) *in Matthæum* p. 313, ſeq. Ed: Huetii. (b) περὶ ἀρχῶν III, 2. pag. 725. (c) *in libros Regum* p. 35. Ed. *Huet.* (d) *in Dialogo cum Tryphone.* it. *Orat. ad Gentes.* (e) Specimen aſſerti egregium dat Magnif. & Gener. *Præſes* in Præfat. Diſſ. ſiſtentis *Semen mulieris ab omni ſemine ſerpentino ſemper immune* habitæ 1706. (f) *in Epiſt. Jacobi*, Operum. p. 283. a.

§. XVII.

De Gratia Applicatrice. His tantis DEI Clementiſſimi operibus partam hominibus ſalutem quod eis, illam acquirere ſibi & Applicare impotentibus, appropriat, ſingulare Divinæ miſericordiæ opus eſt ac be-

ac beneficium, pluribus actibus perficiendum. Cui ut eo ſollicitius adverſantur dæmones, ita illius actus ſingulos non ignorant. ILLUMINATIONEM exiſtimares quam maxime latere æternis vinculis tenebrarum ad averna detruſos. Et dudum ab Eccleſia rejectum eſt, hodie quamvis in eccleſiæ lucem revocatum, *Origenis* commentum, quo ait: (a) *Neſcio annon ignis ille in futuro ſeculo qui incendit, habeat aliquid & quod illuminet.* Attamen dum †) *Spiritus erroris*, ſcriptura *) teſte, tanto ſtudio *excæcat mentes infidelium, ut ne fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti*, non omnino videtur ignorare illuminationis myſterium. Equidem quod Cardinalis *Bona* ait (b) *quamvis dæmon poſſit alium incognita docere, quia tamen non reſpicit moralem diſcentis perfectionem, nunquam dicitur illuminare*, non omnino verum eſt. Vtique dæmon non illuminat, ſed nec homo proprie illuminat, ſed ſolius verbi Divini eſt illuminare, ſive is qui illud proponit perfectionem theologicam diſcentis reſpiciat, ſive non reſpiciat. Attamen notitiam illuminationis habere dæmones inde quoque patet, quod & hujus ſimulacrum in hominibus quandoque effingere tentent. Sic idem *Bona* (c) notavit; *Sexta hora oratio neceſſaria eſt, ait Baſilius, ut liberemur ab incurſu & dæmonio meridiano: ab inſidiis ſcilicet malignorum ſpirituum, qui cum merito tenebroſæ voluntatis in malo prorſus obfirmatæ nocte perpetua damnati ſint, ſolent tamen ad decipiendos incautiores non ſolum diem, ſed & meridiem ſimulare.* Quam in rem affert *Hieronymi* †) dictum de hæreticis dicentis: *hi meridiem promittunt, ſed quoniam Chriſti lumen non habent, non ſunt meridies, ſed dæmonium meridianum.* Equidem in hominibus notitia ſalutis, effectu licet ſalutari adhuc dum deſtitutã, uſu vocabuli ſat recepto, *illuminatio* dicitur. Eadem vero notitia, vel etiam eminentior licet dæmonibus competat, vel *Jacobo* teſte, eos credere dicente, (quod cum de ſalvifica fide ipſemet accipi nolit, utique de prioribus ſaltem fidei ſalvificæ partibus, notitia & aſſenſu, vult aſſumi, quas ipſis concedit) non tamen unquam ideo dæmon illuminatus ſicut homo dici poterit. Infert enim *illuminationis* vocabulum reſpectum ad ſalutem, quam tenebris antea obrutus nunc tanquam ad lu-

De Illuminatione.

†) 1. Joh. IV, 6.

*) Eph. VI, 12.

†) *In Pſal.* XCI.

Jac. II. 19.

ad lucis meridiem homo conſpicere poteſt. Diabolis vero cum ſalutis ſpes nulla ſuperſit, neque iis lumen ad videndam eam accenditur, neque lux quantæcunque notitiæ lux ipſis eſt, quippe non ad præmonſtrandam ſalutis viam, ſed ad pudefactionem, confuſionem, moleſtiam, & horrorem incutiendum data. Noſcunt ergo illuminationem non ſuam ſed hominum. Attamen quantum homo tum in notitia ſalutis, tum etiam in admittenda ejus efficacia profecerit, hariolari quidem quodammodo dæmones poſſunt, neutiquam vero certo ſcire. Nec conſtat ipſis an noscat hoc illudve, annon. An fidem revera admiſerit, an converſus jamdum plene ſit. quo temporis momento regeneratus ſit. Hæc non noſcunt dæmones, ſed in pugnam adverſus hominem deſcendentes demum quandoque experiuntur. Et vera in tantum eſt *Diadochi* Photices epiſcopi (d) ſententia: *Gratia DEI in profundo animæ, i. e. in ipſa mente habitat. Omnis namque gloria filiæ regis intus, ut ait propheta, dæmonibus inadſpectabilis.* Quanta vero CONVERSIONIS atque REGENERATIONIS hominum notitia ipſis competat, ex dictis §. XIV de *pænitentia* & *fide* jam conſtare poteſt. Neque modus gratioſarum harum operationum ipſis incognitus exiſtit, qui ut p. p. videbimus, non ignorant quæ ſalutis exiſtant media. JUSTIFICATIONIS etiam quod ipſos non fugiat notitia, patet, ſiquidem dum *juſtitia vincuntur*, ut *Auguſtinus* (e) ait, *non potentia*, utique imputata Chriſti juſtitia quam maxime vincuntur, non noſtra. Neque fallere falſosve omnes dixero (f) qui dæmonem, ſub ſpecie animæ demortui, qui ſine impetrata privata Absolutione deceſſerat, comparuiſſe, eamque a miniſtro Eccleſiæ petiiſſe referunt. Vt & ignea Satanæ tela (g) adverſus gratuitam hanc per imputatam Chriſti juſtitiam peccatorum remiſſionem, per tot ejus organa jaculata, ſatis produnt furorem ejus contra ipſi non ſane incognitam hanc doctrinam. Sanctificationis & RENOVATIONIS quam callentes exiſtant dæmones, ea itidem, quæ de *bonis operibus* diximus, manifeſtant. Atque ADOPTIONIS quoque notitiam prodidit

De Converſione & Regeneratione.

De Juſtificatione.

De Renovatione.

De Adoptione.

dit tentator Chriſti, quem cum Filium DEI dictum ad Jordanem audiviſſet, primo quidem tanquam DEI filium naturalem cum poſcebat opus omnipotentiæ peragere: mox vero dubitans tanquam *filium per adoptinis gratiam* †) reſpexit, ad quales ſolum dictum Pſaltæ pertinere non ignorabat. Vti neque PRÆDESTINATIONIS gratioſæ atque electionis ignari ſunt, a qua ut ab omni gratia & charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro, *ſeparare* nos *volunt* Apoſtolo *) teſte *angeli, principatus atque poteſtates*, utique non niſi mallignæ iſtæ. Vnde & GLORIFICATIONIS & *æternæ beatitudinis* ſummi operis miſericordiæ Divinæ, notitiam habeant neceſſe eſt, a qua ſaltem homines ſeparare ſumma votorum ipſis exiſtit. Nec obliti omnino credendi ſunt ſtatus, quem ipſimet ab origine ſortiti fuerant. Prodidit talem notitiam ille Spiritus pythoniſſæ puellæ, Paulum ejusque comites dicens †) *viam ſalutis* annunciare, h. e. monſtrare qua via ad æternam perveniatur beatitudinem. Ipſum tamen ſpem ſalutis ante Chriſti adventum habuiſſe, quod cum *Juſtino Irenæus* (h) & *Epiphanius* (i) aliique Patres ſtatuunt, ex ſcriptura probari nequit. Multo vero minus, quod ipſis etiamnum, vel in futuro ſeculo, ad ſalutem pateat reditus quod non ſolum adverſus *Origenem* Patres complures, ſed etiam adv. hodiernos illius *ἀποκαταςάσεως πάντων* inſtauratores Theologi oſtenderunt (k) eminentiſſimi.

†) Matth. IV, 6. Luc. IV, 9.

De Electione.

*) Rom. VIII, 38. 39. 40.

De Glorificatione.

†) Act. XVI, 17.

(a) *In Exodum* Homil. 13. p. 103. (b) *De diſcret. Spirituum.* c. 10. p. 358. a. (c) *Divinæ Pſalmodiæ* c. 8. pag. 736. (d) *Perfectione ſpirituali* c. 79. ap. Petavium *dogmatum Theol.* de Angelis I, 8. 2. (e) *de Trinit.* XIII, 13. (f) Memorat ejusmodi hiſtoriam VVierus *de Præſtigiis dæmonum* I, 12. p. 29. a. Edit. Germ. fol. (g) Recentiſſime a *Chriſtiano Democrito* hic objecta refutata vide in Magnif. *Præſidis* **Erwegung des Buches** Ch. Democriti: **ein Hirt und eine Heerde** p. 17. it. **gründlicher und deutlicher Vortrag der Lutherſchen Glaubens-Lehren** p. 220. ſq. (h) *Adv. Hæreſes* V, 25. vid. ibi *Fevardentius.* (i) *Hæreſi* XXXIX. conf. ad h. l. *Petavius* p. 76. (k) Hic ſaltem nominare licebit Summe Vener. D. Fechtii *Exer-*

citationem de Chiliaſmo annexam Scrutinio profligatæ hæretificationis, c. 4. Ipſoque Præſide habitam B. D. *Grapii* Diſp. *de Aeterno Evangelio.* it. S. R. D. *Gebhardi*, in variis ſcriptis adv. Peterſenium idem commentum refellentem.

§. XVIII.

De Verbo DEI Cum vero iſthæc non immediate in anima hominis operetur Divina miſericordia, ſed per alia adhuc ſua opera, ſenſibus hominum externis etiam patientia: putares dæmones ſenſibus talibus deſtitutos nec mediorum illorum habere notitiam. Sed uti conſtat, media iſta eſſe verbum ac ſacramenta: ita quanta VERBI quidem Divini notitia dæmonibus ſuppetat, ſupra §. VI perſpeximus. Et quantum hanc peculiariter operum miſericordiæ Divinæ, per verbum ad hohomines applicationem attinet, eleganter obſervant Theologi ex parabola Salvatoris de quadruplici agro Satanam ſacris adeo concionibus intereſſe, & illis in via *rapere* *) *verbum a cordibus*, uti per *filios ſuos*, dicente graviter Paulo, †) *non ceſſat ſubvertere vias rectas Domini*, SACRAMENTORVM *V. T.* notitiam, quam dæmones habeant, prodere videtur κακοζηλία gentilium, Satana citra dubium aut auctore aut directore, iſtis ita uſa, ut inde a gentibus ad Judæos iſta manaſſe & hodie nonnullis credantur. Sic dicente Origene, (a) *Ægyptiorum idolis ſacerdotes* CIRCUMCIDUNTUR, & obſervante *Delrio* b) magi in partibus latentibus non raro diaboli characterem gerunt. Ac iidem Ægyptii *Epiphanio* c) notante, tempore paſchatos Judaici, greges & arbores ſuas *minio illinunt*, tanquam *alexiterio*, ad imitationem ſanguinis AGNI PASCHALIS, quo Judæi ſuperliminaria illeverant, *) ut tranſiret vaſtator. Perinde ut Apoſtolus idolis oblata *ſacrificia* dæmonibus offerri, †) aſſerit. Nec male Chaldæus Paraphraſtes, d) *circumciſione ſignatos in ea confortari* dicit, *ne timeant a ſpiritibus nocivis & dæmonibus nocturnis.* At *circumciſionem cito celebratam eſſe propter aliquem infeſtum Judæorum genti angelum qui poſſet non-circumciſos lædere, circumciſos non item*, male colligit *Origenes* d) ex loco Exodi, *ubi angelos*, ut ait, *ante circumciſionem Eleazari contra Moſen valuerit, quo circumciſio irrita facta ſit illius potentia.* Nam

*) Matth. XIII, 19. Marc. IV, 15. Luc. IIX, 12.

†) Act. XIII, 10.

De Sacramentis V. T.

*) Ex. XII, 23.

†) 1. Cor. X, 20.

Nam Moſes *) ipſe illum, qui ipſum interficere voluit, Jehova appellat, nec meminit iſtum id miniſtro alio quodam facere voluiſſe, ceu in Paſchatis inſtitutione ejus addit mentionem. De SACRAMENTIS Novi Teſtamenti Baptismo & S. Eucharistia dæmonum notitiam, quam vel κακοζηλία, vel apparendo, vel repugnando, tum per obſeſſos, tum per magos, tum per hæreticos prodiderunt nimis prolixum eſſet ediſſerere. *Baptiſmi Chriſti* ſpectatorem fuiſſe Satanam, non inconcinne ex ſubſecutæ tentationis ratione colligunt Theologi. Nec eum tum ſaltem Johanni baptizanti præſentem fuiſſe æque dilucide pateſcit; cum præſertim eo tot homines †) futuram iram, adeoque Satanæ quoque poteſtatem, effugerant. De vario *baptiſmo diabolico* plura docte tradidit Celeb. D. Ern. Sal. *Cyprianus* f). qui etiam *Tertulliani* g) locum memorabilem notavit: *Diabolus*, dicentis, *ipſas quoque res ſacramentorum Divinorum in idolorum myſteriis æmulatur.* Tangit & *ipſe quosdam, utique credentes & fideles ſuos expiationem delictorum de lavacro repromittit; & ſic adhuc initiat Mithræ; ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat &* Panis Oblationem, *& imaginem reſurrectionis inducit.* Vt vero alios a S. cœnæ uſu arcere h) ſolitus eſt Satanas, ita Sevennenſes i) Spiritus ipſorum ad euchariſtiam adhortatus, a miniſterio ſaltem Eccleſiaſticarum ordinationum amovens. Tractavit B. Chriſt. *Chemnitius* k) ſigillatim quæſtionem: *An dæmones norint in SS. Eucharistia revera adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti?* Et aſſerit eos, ſi velint fidem habere verbis inſtitutionis, potentiam ſaltem habere noſcendi rem ipſam, licet modum præſentiæ & unionem ſacramentalem æque ignorent ac hypoſtaticam. Inprimis autem poſt aſcenſionem Chriſti & hodienum, ex eventibus colligentes, certiores factos de veritate verborum inſtitutionis, quæ ab initio ad reſurrectionem usque tanquam a nudo homine prolato ſaltem habuerint, nec magni fecerint adeoque tum adhuc veritatem ignoraverint. Cæterum de Huld. *Zwinglio* conſtat, quod de ſe ipſe profiteatur l), anxie ſibi cogitanti de ſenſu verborum inſtitutionis, adpetente luce XIII Aprilis, in ſomnio viſum eſſe monitorem adeſſe, quem ambi-

*) Ex. IV, 24. ſq.

†) Matth. III, 7.

h) *De S. Cœna*

ambigit albus an ater fuerit, qui dixerit ad eum: *Quin ignave reſpondes* adverſario, *quod Exod. XII ſcribitur: EST enim Phaſe, h. e. tranſitus Domini?* Quod vero *Fevardentius* m) refert Lutherum de ſe ſcribere: *diabolum ac ſe inter ſeſe mutuum familiariter noſſe, & plus uno ſalis modio ſimul comediſſe, illumque dulci alloquio ſe frequenter conveniſſe, & nocte excitaſſe, atque ſtimulaſſe, ut contra Miſſam ſcriberet, & ad eam rem argumenta ſuppeditaſſe*; eo turpiter mentius eſt. Refert *Lutherus* noſter in eo, quem allegavit *Fevardentius*, loco n) tentationes Satanæ, quibus ipſum quindecim jam annos Miſſam angularem adminiſtrantem ſit aggreſſus, non dulci alloquio, ſed quod ſudorem ſibi excuſſiſſe & pectus concuſſiſſe fatetur, vera quidem contra Miſſam illam objiciens, Verbo DEI nempe & conſcientia ipſius fundata, ſed falſa elaturus inde, nempe deſperandum igitur eſſe. Nusquam vero ait *Lutherus* inſtigante diabolo & argumenta ſuggerente ſe adverſus Miſſam ſcripſiſſe. At hoc ille Megalander cum *adverſus abuſum Miſſarum* ſcriberet, diſerte dixit o) *Spiritus illos ſanctosve viros, qui apparuiſſe, utque Miſſarum beneficio ipſis ſuccurreretur precati, dicantur, diaboli fraudes eſſe, qui laborarit verum Miſſæ uſum aſtu illo abolere.*

a) Homil. *in Jeremiam* p. 85. Ed. Huet. b) *Disquiſ. Magicarum* L. II. quæſt. 4. p. 253. c) *Hæreſi* XVIII, p. 39. d) *in Cantic.* III, 8. 9. ap. *Spenzerum* de legibus Ebræorum ritualibus I, 4, 2, 5. e) *Contra Celſum* L. V, p. 263. Ed. Spenceri. f) In *Selectis Programmatibus* p. 61. ſqq, g) Ex libro *de Præſcriptionibus adv. Hæreſ.* c. 40. Et in Edit. Froben. 1550. pag. 110. conf. & Ejusd. liber *de Baptiſmo* prope initium h) Conferri meretur B. Scriverii verlohrnes Schäflein. im Hiſtoriſchen Bericht §. 21. 26. i) v. *Porſtius* p. 47. ſq. 122. von *Inſpirirten* k) *De fide dæmonum* pag. 33. ſq. l) In *Coronide de Euchariſtia.* ſive *Subſidio Evchariſt.* Verba ipſius exhibita invenies ap. Herm. *Witſium* Miſcell.. S. Lib. I, c. 24. §. 27. qui cum Frid. *Spanhemio* Seniore Divinum agnoſcit iſtud inſomnium, ſed contrarium oſtendit Celebrat. Eccleſiæ noſtræ Theologus Val. Ern. *Læſcherus* in der ausführlichen *Hiſtoria motuum* P. I, p. 68. ſqq. m)

ad Ire-

ad Irenæum I, 9. 4. n) *De Miſſa Angulari* T. VI. Altenb. p. 86. b, ſqq. o) T. II. Altenb. p. 46. ſqq.

§. XIX.

Horum vero Divinæ miſericordiæ operum effecta plura jam §. XIV. vidimus diabolo non eſſe incognita. Iſtorum quidam quaſi complexus eſt RELIGIO, qua homo pridem DEO adverſus, jam quaſi vinculo religatur eidem & redunitur. Non id quocunque modo fieri poſſe, quod hodie quidam, quoſan, ſingularis, an omnis, an nullius eſſe religionis dicam, ambigo, ſtatuunt, rectius his dubio procul norunt dæmones. Neque temere B. Chriſt. *Chemnitius* ſæpius laudatæ Diſſertationi a) corollarium ſubnexuit: *Quænam ſit vera religio, diabolus non ignorat.* Sic enim per Pythoniſſam in actis †) clamabat: *Servos DEI illos annunciare* VIAM SALVTIS. Merito tamen *Wierus* b) impietatis arguit ſacrificulum, qui diabolum dixerat eſſe *Chriſtianum.* Revera enim nunquam ceſſat *pervertere* *) *vias DEI rectas.* Atque ut inde ſingulos veræ *religionis* tenaces noſcere laborat, exemplo Jobi: ita & horum DEO reſtitutorum hominum complexum, ECCLESIAM inquam, non minus agnoſcit. Ita enim integrum *diſcipulorum* Chriſti *cœtum* popoſcit †) ad tentationum cribrationem. Novit draco ille magnus *) *mulierem ſponſam* ac *matrem Chriſti.* Nouit & perſequitur, undis eam abſorpturus & bellis ſuis deleturus. Atque licet *in petra fundatam*, non tamen ceſſat ſanctam concionem illam †) variis erroribus & hæreſibus oppugnare. *Revera enim*, dicente Epiphanio c) *hæreſes omnes portæ illæ ſunt inferorum, quæ adverſus petram*, & fundatam in eo Eccleſiam *nihil omnino virium habere poſſunt.* Unde *ſingulares cœtus*, pura verbi Divini prædicatione & intemerata Sacramentorum adminiſtratione extrinſecus quoque conſpicuos, noſcit & aggreditur. Zizania *) inſpergit & in iis †) nunc thronum ſuum, ut in *Pergamena* quondam Eccleſia, nunc ſynagogam ſuam adſtruit, ut in *Philadelphienſi.* Atque ex Eccleſiæ obſervatione, & eorum quæ in ea contingunt conſpectu vel ipſam illam plurimorum myſteriorum notitiam ipſos quoque dæmones hauſiſſe

De Religione.

†) c. XVI, 17.

*) Act. XIII, 10.

DeEccleſia

†) Luc. XXII, 31.

*) Apoc. XII, 4. 13. 15.

†) Matth. XVI, 18.

*) Matth. XIII, 25. 27

†) Apoc. II, 13. III, 9.

ſiſſe non invito Apoſtolo credo me aſſerturum, quippe qui
*)Eph.III, 10. (*) *imperiis ac poteſtatibus in cœleſtibus per eccleſiam* ait *innoteſcere multivariam ſapientiam DEI.* Nec latet dæmones, quantum Divinæ miſericordiæ beneficium verſetur circa tres Status Hierarchicos. Non ignorant, quam gratioſum operum gratiæ effectum ſit MINISTERIUM ECCLESIASTICVM.

De Miniſterio Eccleſiaſtico.

Diſtinguebat ſat erudite ille in obſeſſo †) maligno Spiritus Paulum Chriſti miniſtrum a circulatoribus exorciſtis Judæis, dicens: *JESUM novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* & in Pythoniſſa *) *de Paulo & ſociis verbi præconibus* clamabat: *Iſti homines, ſervi ſunt DEI altiſſimi, qui annuciant vobis viam*, integram quaſi definitionem veri miniſtri eccleſiæ ediſſerens. Nec Apoſtolos ſaltem agnovit adminiſtros Chriſti. Perpetuum ejus in verbi miniſterium odium omni ſeculo teſtatur, quantam ſemper ejus habeat notitiam. Non ſemel ſaltem *in ore prophetarum* Achabi †) olim ſpiritus mendax exivit. Primos omnium ſemper verbi miniſtros ſeducere ſatagit. Sinceros quoque Doctores omni tempore perſequitur. Hodienum quoque non ſecus ac olim *Joſuæ adverſatur* *). ſtat *a dextris*, ex accuſatorum ritu, *immundas* eorum *veſtes*, propriam ipſorum juſtitiam, non tantum coram DEO ſed & coram hominibus & eccleſia traducens, ut detrahat efficaciæ miniſterii illorum. Quoties totum verbi miniſterium eliminare tentavit? Etiam ſingularem ſanctitatem ſpirantes *Sevennenſes* d) ab ordinario verbi miniſterio ut diſcederent, in mandatis acceperant. Nec hodie demum *fœminas* in illud adſciſcere tentavit. Quibus argumentis *Quintilla* & *Priſcilla* quondam id effecerint, *Epiphanius* e) conſignatum reliquit, qui diabolum per eas ridiculos earum errores diſſeminaſſe f) judicat. Neque ejus quod in MAGISTRATV POLITICO Divinæ miſericordiæ eſt beneficium, ignari ſunt dæmones. Hinc nusquam fere magis quam in vera eccleſia magiſtratum impugnarunt. Non olim ſaltem *Sataniani* g) nullo *neque nominis neque ſanctionis* θεσμȣ͂, *neque regionis* θέσεως, *neque Legum firmamento ſe contineri* paſſi ſunt: Sed & utprimum hiſce poſtremis ſeculis purior ſaluta-

†) Act. XIX, 15.

*) Act. XVI, 17.

†) 1. Reg. XXII, 22.

*)Zach.III. 1.3.

De Magiſtratu politico

ſalutaris Doctrinæ lux refulſit, ad hunc usque diem, non de-
fuerunt Satanæ diſcipuli, qui magiſtratum æque ac reliquos
ſtatus hierarchicos vellent eccleſia ejectos. Et penes extra-
neæ religionis principes etiam animos occupant adverſus po-
pulum DEI. Ita enim inprimis aulas magiſtratuum occupant,
ſicut Daniel †) *principes regni Perſiæ & Græciæ* memorat; qua †) c. X, 13.
ratione *Origenes* atque alii Patres Jeſaiam *) annotant Luciſe- 20.
rum cœlo lapſum appellare dæmonem regni Babel, & Eze- *) c. XIV,
chieli †) regem Tyri eſſe dæmonem, ejus regni magiſtratui 12.
ſe inprimis adjungentem. Neque ignorare poſſunt maligni †) c.
genii, *a DEO eſſe* inſtitutos magiſtratus, cum inter ipſosmet, XXVIII,
ex primo ſtatu, regni magiſtratus & ſubjectos habentis for- 12.
ma manſerit, ceu vel Salvator ipſe *) concedit, etiam diabo- *) Luc. XI,
lorum regi tribuens, quod probe noverit: cives regnum am- 18. 17.
pliantes juvandos potius quam coërcendos & diſcruciandos †) Luc. IV,
eſſe. Licet impudentiſſime utique coram Chriſto tentator 5. 6.
ille †) ſe pro conſtitutore magiſtratuum vendere fuerit auſus, *) Joh. XII
oſtenſis omnibus terræ regnis ei dicens: *Tibi dabo poteſtatem* 31. Eph.
hanc univerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui vo- VI, 12.
lo, do illa. Cum tamen, utut κοσμοκράτωρ *) *tenebrarum hujus* †) Matth.
ſeculi ſit, neque porci †) tamen ullius habeat poteſtatem: & VIII, 31.
non poſſit non noſſe *) adverſus impium *Saulem* ac *Achabum* *) 1. Sam.
æque, ac pium *Davidem* non niſi iræ Divinæ famulum ſe exi- XVI, 14.
ſtere. In ſtatu OECONOMICO Divinitus conſtitutam Pa- 1. Reg.
rentum præ liberis, Dominorum præ ſervis prærogativam XXII, 22.
tanto magis noſſe cenſendi, quo magis illam quotidie ever- 1. Paral.
tere nituntur DEO ſemper adverſantes illi Spiritus. Nec XXII, 1.
CONJUGII *prohibitio* inter †) *doctrinas dæmoniorum* eſſet, niſi coll. 2 Sam.
noſſent ea divinam id eſſe ordinationem. Pulchre *Theodo-* XXIV, 1.
retus h) de Hæreticis, qui docente illos Satana nubere ac ge- *De Statu*
nerare a Satana eſſe docebant, *Bellum*, inquit, illi *adverſus cre-* *oeconomi-*
atorem hujus univerſi gerebant, ideo ne per matrimonium opificium *co.*
ejus augeretur formidabant. Vti libellus Tobiæ *) *Aſmodæum* †) 1. Tim.
memorat, quibusque matrimoniis poſſit nocere quibus ne- IV, 1. 3.
queat, diſſerit. Ipſorum vero ſpirituum malorum vel inter *) c. III, 8.

 VI, 17. 18.

ſe, vel etiam cum hominibus conjugium, quo etiam Patres nonnulli i) eos lapſos putarunt, nulla probabili ratione aſſe-
†) c. VI, 2. ritur; multoque minus locus Geneſeos †) id comprobat, qui filios DEI filias hominum ambiiſſe memorat. Quam veteres quidam nectunt dæmonum genealogiam, locum Joh. VIII, 44. ita legentes: *Vos eſtis ex Patre diaboli -- ille homicidia eſt ab initio, & in veritate non ſtetit, -- quia mendax eſt, ipſe & pater ejus*: mireris, etiam Doctiſſimum *Alethinum* k) amplexatum cum iſtam loci Johannei interpretationem jam olim l) βιβλικώτατος *Origenes* merito reſpuerit. Quæ vero his, eccleſiæ nempe ejusque ſtatibus & Chriſto, & Gratiæ Divinæ adverſantur, ANTICHRISTUS & *Babylon*, & *Sodoma*, & *Ægyptus*, nobis quidem nonniſi ex revelatione patefiunt, dæmonibus autem eo noti-
*) Apoc. XVIII, 2. ora facile cernuntur, utpote quorum Babel *domicilium* *) eſt, & ipſe Satanas eſt †) *ſpiritus anti-chriſti*, *) *cujus adventus eſt in Satanæ efficacia cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus.*

†) 1. Joh. IV, 3.
*) 2 Theſſ. II, 9.

(a) *De fide dæmonum.* b) *De præſtigiis dæmonum* V, 23. p. 361. a. c) *Hæreſi* LXXIV. p. 903. ſq. d) v. laud *Porſtius* de Inſpiratis p. 47. ſq. 122. 260. ſq. e) *Hær.* XLIX, p. 418. f) *Hær.* LXXIX. p. 1058. g) Epiph. *Hæreſi* XXC. p. 1069. h) in *Epitome Divinorum Decret.* De Virginitate i) vid. Petav. *Dogmatum Theol.* de Angelis III, 2, 24. Fragmentum *Enocho* tributum eandem fabulam tradens habes in *Bangii* Exercit. p. 25. ſq. k) *in notis* ad *Petavii* dogm. Theol. *de Angelis* III, 3. 2. p. 94, l) *in Johannem* p. 308.

§. XX.

De Reprobatione. Reſtant *opera divinæ* Justitiæ, quorum notitia dæmonibus tanto minus negari poterit, quo ea magis ad ipſos etiam ſpectant. REPROBATIONE hominum uti Satanæ ditiones augentur, ita tentationes ad deſperationem vergentes, dum ſæpius lapſis vel gravius afflictis perſvadere laborat eos reprobatos, in judicium ante deſcriptos, in iram conſtitutos eſſe,
De Reſurrectione mortuorum, quamvis ſua miſceat mendacia, ſatis ea tamen arguunt non incognita ipſi eſſe juſta hæc DEI judicia. RESUSCITATIONEM Mortuorum, corpora, peccatorum hic pariter ac varia-

variarum afflictionum conſortia, ad pœnarum vel præmiorum quoque communionem reducturam, niſi in tot exemplis vidiſſent, & in Chriſti reſurrectione, tanquam ſummam regni ipſorum perniciem & peſtem experti eſſent; ſibi tamen non ignotam eſſe tum tot impugnatoribus hujus doctrinæ, tum variis in aſſumta defunctorum ſpecie apparitionibus, tum *κακοζηλία* & mortuorum in vitam fraudulenta reductione, qualem ab Hercule & Apollonio præſtitam tradit *Philoſtratus*, a) ſatis monſtraverunt. Et ſi nusquam ſe prodidiſſet *Sevennenſium* ſpiritus, eo non Divinus, qualem ſe vendebat, ſed mendax ſpectatus eſt, dum reſuſcitationem Thomæ Emes promiſit & tam ſevere juſſit b) ſperandam *majus illud fore miraculum* dicens, *quam quo Salvator Lazarum excitavit.* Sic ex JUDICII EXTREMI notitia tanto acriori ſævit furore, ſciens †) *parum ſibi temporis ſupereſſe*, ad quod quippe *judicium magni diei ſervantur æternis vinculis ſub caligine* *) angeli illi apoſtatæ, ab *hominibus* †) etiam DEO reſtitutis tum *judicandi.* Atque ſtatim a morte corporis animas impiorum ÆTERNÆ MORTI addici, quotidiana quaſi experientia ſcire poſſunt. Sic perſonatus *Samuel* ad Saulem, quem DEO exoſum eſſe ante dixerat, *cras*, ajebat, *) *tu ac filii tui mecum eritis.* Noſcunt quid ſit a DEO rejectum eſſe, dum tanquam *fulgur é cœlo* †) ceciderunt, noſcunt *catenas tenebrarum* ſibi injectas *) *æternas.* Noſcunt *æternum* ſibi *ignem paratum* †) eſſe, idque vel inde a maledictione ſerpenti poſt ſeductum hominem illata. Ita enim *Irenæus* c) ipſe ex illo Matthæi loco explicat DEI verba ad ſerpentem: *Quoniam feciſti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus & omnibus beſtiis terræ. Hoc idem*, dicens, *& Dominus in Evangelio his qui a ſiniſtris inveniuntur ait, abite maledicti in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo & angelis ejus. Significans, quod non homini principaliter præparatus eſt æternus ignis, ſed ei qui ſeduxit & offendere fecit hominem.* Licet alias idem *Irenæus* d) cum *Juſtino* credat dæmones ignoraſſe ſuam damnationem ante Chriſti id nunciantis adventum. Certe initio ſtatim miniſterii Chriſti norant

De Extremo judicio.

†) Apoc. XII, 12.
*) Judæ 6. 2 Petr. II, 4.
†) 1 Cor. VI, 3.

De Morte Æterna.

*) 1 Sam. XXVIII, 19.
†) Luc. X, 18. Joh. XII, 31.
*) Judæ 6.
†) Matth. XXV, 41.
Gen. III. 14. 15.

*) Matth. VIII, 29. Luc. VIII, 31. rant exſpectandos ſibi eſſe *) *crutiatus* βασανισμὸς & *paratam abyſſum*, ſaltem ne accelerarentur futuræ graviores pœnæ, obteſtati.

(a) *De Vita Apollonii* IV, 45. b) v. *Porſtius* l. c. pag. 58. 69. 164. c) *Adverſus Hæreſes* III. 35. d) L. V. c. 25.

§. XXI.

De Lege & Evangelio. Non vero minus, quam operum, etiam Divinæ VOLUNTATIS notitiam dæmones habere, nemo negaverit facile, & ex dictis etiam conſtare poteſt. Quippe qui S. Scripturam norint, & ad voluntatis Divinæ Legalis normam hominum actiones norint examinare & tum DEO tum ipſorum conſcientiæ deferre & accuſare. Et voluntatis Dei Evangelicæ notitiam non poteſt non habere ſerpens antiquus, cum vel ipſi & in pœnam ejus promulgatum ſit *protevangelium*. (Gen. III, 15.) Vnde tamen evangelicæ pariter ac legalis voluntatis cognitio non niſi dolroem ac horrorem dæmoniis concitat, quæ quippe DEVM illum *ipſum* ſecundum eſſentiam, opera & voluntatem ejus ita ſaltem *noſcunt, ut contremiſcant*. (Jac. II, 19.)

§. XXII.

An docere iſta & defendere poſſint? Noſci enim DEUM ita a dæmonibus, jam non amplius dubium exiſtere poterit cuipiam, adeoque nec quod detur dæmonum Theologia niſi forte ambigas an habitus docendi, confirmandi ac defendendi cognita ſtatim adſit, quibus illa adeſt notitia. Cujus tamen rei multo minus dubium quempiam habere poſſe exiſtimarem, cum talium habituum facultates dæmonibus æque ac hominibus perditiſſimis ex primævo ſtatu queant ſupereſſe. Meminit B. *Lutherus* a) hiſtoriæ, qua diabolus Eccleſiaſtæ ſubito morbo correpti vices in ſacra concione levarit, ea dexteritate & efficacia, ut lacrymas omnibus excitarit. Et quamvis ipſe nolit veram venditare illam hiſtoriam, veriſimilem tamen aſſerit, quod utique diabolus verbum, officium, & ſacramenta Chriſti tenere & dare poſſit, qui angelum lucis & DEI majeſtatem poſſit mentiri & ſimulare. (2 Cor. XI, 14.) Sic & primarius non ita pridem in Pomerania Svecica Theologus D. Joh. Frid. *Mayerus* diabolum do- (Matth. IV, 9.)

ctoris

ctoris Theologiæ pariter atque Philoſophiæ munere quandoque fungi memorat. Ut exempla ab aliis cumulatim allata taceam, quæ ſane in dubium vocare omnia nolim. Cum præſertim & ipſa S. Scriptura ſuffragetur. Certe Chriſtus dum tam ſevere †) *interdixit* dæmonibus *ne ipſum manifeſtarent*, novit ſe ab iis manifeſtari h. e. clare doceri poſſe. Neque negaverit quiſpiam Apoſtolum, *) dum *linguis ſubterraneorum* etiam *confitendum* dicit, *Jeſum Chriſtum eſſe Dominum in gloriam DEI Patris*, dæmones etiam innuiſſe, cum & alibi †) angelis lingvas tribuat. Neque minor erit in confirmandis & defendendis cognitis divinis myſteriis facultas, ſi vel jubente DEO in ipſius gloriam id facere tenentur, uel etiam ut in aliis fallere tutius queant, in nonnullis hoc faciant. *Sevennenſes* d) haud pauci *dicta Scripturæ recte & largiter allegaſſe* memorantur. Quædam ex iis fœmina *librum* contra inſpirationes eujusmodi ſcriptum, ſpiriu ſuo lata, *refutavit*. alii *peccata & vitia redarguerunt, contra ſacerdotes, papam, eccleſiam, anti-Chriſti regnum, miſſam, & eiusmodi alia cum zelo invecti, & eos qui religionem abjuraverant, ut reverterentur, hortati ſunt.* Sic de *Montani* Spiritu jam olim retulit *Euſebius* d) quod etiam ἐλεγκτικὸς videri voluerit. At rectiſſime tamen Origenes e) *Non vult DEVS*, inquit, *auditores nos fieri & diſcipulos dæmonum, neque vult, ut ſi quid volumus diſcere, diſcamus a dæmonibus. Melius eſt enim ignorare, quam a dæmonibus diſcere. propter hoc & Dominus noſter JESVS non dignatur a dæmonibus accipere teſtimonium, ſed ait: obmuteſce & exi ab eo. Quem etiam Apoſtolus ſuus Paulus imitatus, dolens convertit ſe & ait ſpiritui pythonis: Præcipio tibi in nomine JESV CHriſti, diſcede ab ea. In quo requiras forte, quid dolens Paulus increpet ſpiritum pythonis? nunquid blaſphemum dixerat? At non pro blaſphemia doluit Paulus, ſed pro eo, quod indignum judicaret ſermoni ſuo a ſpiritu pythonis teſtimonium dari. Quod ſi Paulus ſibi teſtimonium dare eum non patitur, ſed dolet ſuper hoc: quanto magis dolere debemus, ſi quando decipi videmus animas ab iis, qui, velut Divino alicui, ſpiritui Pythonis, aut ventriloquo, aut divinanti, aut auguri, vel aliis quibuslibet hujusmodi dæmonibus credunt?*

†) Marc. III, 12.
*) Phil. II, 11. 10.
†) 1. Cor. XIII, 1.
Luc. IV, 35.
Act. XVI, 18. 17.

a) Von der Winckelmeſſe T. VI. Altenb. p. 106. b) in Diſſ. *Vtrum Diabolus CHriſtum in ſtatu exinanitionis agnoverit?* p. 4. c) u. Porſtii Hiſtoriſche Nachricht von den *Inſpirirten* p. 48. 47. d) *Hiſt, Eccl.* L. V. c. 16. p. 181. A. e) *In Numeros* p. 235.

§. XXIII.

VNDE ACQVISITA *Theologia dæmonum?*

VNDENAM vero ſpiritibus tam malignis advenerit tantus ſanctiſſimæ doctrinæ habitus, id quod *ſecundum* hic tractandorum *caput* eſt, non æque facile decerni hic quidquam poſſe videtur. Quænam peſſimis & corruptiſſimis creaturis facultas cognoſcendi optima? Quod Optimo, imo Ter Optimo Maximo ac Immutabili Numini, luci inacceſſæ, ſtudium ſua permittendi perditiſſimis? Quod ſi conſideremus omnes modos, quibus creaturam rationis participem in Divinorum notitiam pervenire poſſe novimus, ex nullo eorum dæmones iſtam ſuam Theologiam acquiſiviſſe dici ita fere poſſunt, quin dubium aliquod ſupereſſe videatur. Aut enim ea *in ipſa creatione indita* & conceſſa eſt; aut ipſo rerum eventu magiſtro, atque *experientia* docente, acquiritur; aut *ratiocinantis* facultatis virtute indagatur; aut accipitur per Divinam *revelationem*, eamque vel talem, qua ſine medio *intuetur* creatura faciem patris cœleſtis, & mentem DEI proxime conſpicit; aut per media conſequitur Divinorum myſteriorum cognitionem, v. g. *per verbum*, quo modo hominibus viatoribus concedere theſauros ſuos ſapientiſſimæ placuit Opulentiæ; vel alia *ratione* Spiritibus corporeo organo carentibus *peculiari* & accommodatiori. Num vero hiſce modis dæmones quoque Theologiam nacti ſint, quidnam dubitare vel negare vel etiam aſſerere ſuadeat, curatius merito expendetur.

§. XXIV.

An concreata?

Excellentiſſimam DEI cognitionem dæmonibus quoque in ipſa eorum Creatione collatam fuiſſe, dubio caret. Ejus vero parum vel nihil ipſis poſt eorundem lapſum remanſiſſe, tam hominum ex lapſu orta ignorantia ſuadere videtur, qua tantam concreatæ ſapientiæ jacturam fecimus, ut ejus vix tenu-

tenuiſſima rudera indagare liceat, per rerum creatarum ſenſum de creatoris exiſtentia & natura colligendo, detegenda, ſubinde tamen dicente ſtultorum corde: non eſt DEUS. Sed & ipſa S. ſcriptura id comprobat †) *diabolum in veritate non* †) Joh.
ſtetiſſe, &*) *angelos peccatores æternis tenebrarum vinculis conſtri-* VIII. 44.
ctos eſſe aſſerens. uti recte *Origenes* a) per tenebras exteriores*) Judæ
inter pœnas infernales memoratas *opinatur*, *non tam aërem ali-* 6. 2 Petr.
quem obſcurum ſine lumine intelligendum eſſe, *ſed de his*, *qui profun-* II, 4.
dæ ignorantiæ tenebris immerſi extra Divinæ intelligentiæ lumen effecti ſunt. Vt adeo & facultas intelligendi Divina, & objecta ſacræ notitiæ dæmonibus adempta videantur. Vnde & B. Wilh. Lyſerus: b) *Quod concreatam attinet Theologiam, veram accepit Diabolus. Sed hæc amiſſa eſt. Nullæ enim illi reliquiæ poſt lapſum ſunt concedendæ, uti homini tamen conceduntur. Diabolus enim irreparabiliter lapſus eſt in tenebras, quibus nil lucis adeſt concreatæ.* Atque id profecto extra omne dubium eſt, non exiguam jacturam dæmones quoque feciſſe concreatæ ipſis ſapientiæ. Neque dubium eſt, intellectum ipſorum quoque ignorantia & oblivione divinorum eſſe occupatum, quorum contemtus, tædium, odium & horror ipſos ceperat. Neque negari poterit, quantumcunque ipſis Theologiæ concreatæ ſuperſit, non tamen eam ipſis lucem eſſe, ceu dicta §. XVII. probare poſſunt. Nil lucis concreatæ etiam iis adeſt, luce ipſa, quæ fuerat, in tenebras ipſis mutata, ad augendam ſc. ipſorum confuſionem, inquietem, odium, invidiam vergente. Bene B. Mich. Waltherus c) *caligo*, ait, *æternum gratiæ & lætitiæ Divinæ privationem notat.* Hæ tenebræ utique & intellectum ipſum occuparunt, nam totos eos hæc perpetuo conſtrinxerunt vincula. Supereſſe vero dæmonibus Theologiam; adeoque & objecta notitiæ rerum Divinarum, & facultatem ea noſcendi, non prorſus iis eſſe adempta, nihiloſecius ſalvis, quantum perſpicio, Scripturæ dictis aſſeri poterit. Non temere idem B. Waltherus, d) *ex gratia creationis*, ait, *habent* FACULTATEM *credendi veritatibus Divinis & humanis, quia haud dubie ipſis, tanquam ſpiritibus ſagaciſſimis, plura naturalia poſt*

lapſum fuerunt relicta, quam homini. De cujus aſſerti veritate non nunc juvat ex cauſis ejus prolixe ratiocinari. Allata hactenus uberrima Scripturæ & Experientiæ teſtimonia ſat aperte hanc iis facultatem vindicant. Et quis credat Protoplaſtos poſt lapſum Divinorum myſteriorum non magis gnaros manſiſſe, quam hodie recens nati exiſtunt infantes? Nulla hoc Scripturæ cogit aſſertio. Multo vero minus probabile eſt dæmones omnium myſteriorum ſtatim amiſiſſe notitiam, cum ipſi corporis expertes, multo minus quam homines, mutationi ſint obnoxii. Licet, ut dixi, ex incuria & faſtidio atque odio DEI dum hæc illave diu non cogitarunt, ea facile ſint obliti. Ita tamen, ut nihil obſtet, quo minus cito eorum recordari poſſint. Neque, ſtante notata a *Casſiano* dæmonum differentia, negavero, alios plus aliis amiſiſſe, & adhuc hodienum magis magisque amittere concreatam divinorum notitiam impuros illos ſcelerum præſides & ſtercoreos deos. Imo in nonnullis eam dudum forte omnem eſſe deletam. Verum tamen illos, quorum tam amplam Theologiam ſupra recenſuimus, ejus haud parvam partem ex concreata reliquam habere: negari nequit. Quod Salvator ait *diabolum in veritate non ſtetiſſe*, id non evincit, eum omnem veritatis notitiam amiſiſſe. Recte B. Alb. *Graverus* e) dum hanc quæſtionem tractat: *Utrum in dæmonibus omnis notitia naturalis penitus ſit ablata?* de iſto loco reſpondet: *Dictum CHriſti Joh. VIII. non videtur hoc velle, quod diabolus nullam veritatis cognitionem habeat, ſed quod veritatem non profiteatur. Poteſt enim is qui mentitur veritatem agnoſcere, imo proprie loquendo, omnis qui mentitur veritatem novit. Si non novit veritatem, noſſe autem ſe putat, mendacium quidem ſeu falſa dicit, ſed proprie & accurate loquendo non mentitur, quod Scaliger annotavit Exerc. II. §. 5.* Merito igitur Celeb. Lintrupius f) *Non auſim*, inquit, *temere omnem dæmonum* θεογνωσίαν *promiſcue falſam pronunciare, ut non aliqua illis, utut minime ſpiritualis aut ſalutaris, hiſtorica tamen & literalis veritas Theologica relinquatur. Non tam ex viſione quidem, (ut habet J. Lud. Fabricius) quam ex creatione reſidua & experientia aucta. Neque ſcio an-non*

†) Joh. VIII, 44.

non rigidius paulo omnem iis concreatam Theologiam ita penitus amiſſam dixerit Wilh. Lyſerus, ut nullæ illis reliquiæ poſt lapſum ſuperſint, & nihil adſit lucis concreatæ. Ex Judæ vero loco ipſe quoque *Origenes* dæmonibus non omnium Divinorum ignorantiam tribuit, qui potius Voluntatis Divinæ legalis notitiam iis competere ex eodem comprobat, *niſi* dicens, g) *lege*, dicente quod agi debeat, & quod agi non debeat vetante, *tenerentur* cœleſtes ordines, *nunquam de iis diceret divina ſcriptura: angelos quoque qui non ſervaverunt principatum ſuum, ſed dereliquerunt proprium domicilium, DEVS ad judicium magnæ diei æternis vinculis in tartarum conſtrictos ſub caligine reſervavit. Vnde conſtat ineſſe his legem, qua non obſervata paſſi ſun t hæc quæ ſuperius ſcriptura teſtata eſt.* Judæ 6.

(a) Περὶ ἀρχῶν p. 708. b) *Syſtem. Theolog. Thet. Exeget.* p. 4. c) *Harmonia Biblica* ad 2. Petr. II, 17. d) *Ibid.* ad Jac. II, 19. e) *Centuria I, Illuſtrium quæſtionum Theol.* p. 219. ſq. f) *Lineament. Protheoriæ Theol.* §. 7. g) *In Epiſt. ad Rom.* Lib. III. ad cap. III. p. 498.

§. XXV.

An per experientiam?

Minus igitur dubium eſt, dæmones iſtam ſuam Theologiam EXPERIENTIA magiſtra etiam acquiſiviſſe & augere. Cum enim remanſerit eis facultas noſcendi Divina, attendere utique operibus DEI in tempore evenientibus, eorumque notitiam acquirere poſſunt. Non poſſunt utique turpiſſimi ſanctiſſima, perditiſſimi ſalutaria, nequiſſimi rectiſſima ſecundum eorum naturam experiri. †) *occultata eſt a volucribus cœli,* a poteſtate aëris, Divina *ſapientia*, non guſtant videntve quam benignus ſit Dominus. Cognoverunt tamen ita creationem hominis ipſi lapſus humani auctores ſvaſoresque extiterunt. DEUM natum hominem ita reſciverunt. ejusque morte ſuorum operum interitum ſuamque poteſtatem extinctam experti ſunt. attendunt ſervis DEI, vident nequiſſimi integros, rectos, timentes DEVM & recedentes a malo. experiuntur ſe ab hominibus DEO reconciliatis vinci atque concułcari. cernunt inquieti ſanctorum pacem & tran-

†) Job. XXVIII, 21.

quillitatem, & invident perpetuo reſtituta hominibus bona omnigena. Sic eos baptiſmi Chriſti ſpectatores fuiſſe Theologi ſtatuunt. Sic *naturali ſagacitate*, ut ait B. Chemnitius, a) *credere poſſunt miracula pro doctrinæ cœleſtis veritate a Chriſto & Apoſtolis facta non eſſe magica, ſed vera & Divina.* Sic *) *in Eccleſia* dæmonibus quoque *multivaria DEI ſapientia innoteſcit.*

*) Eph. III, 10.

a) *De Fide dæmonum.* pag. 39.

§. XXVI.

An per Conjecturas?

Conjectando atque Ratiocinando quo minus dæmones in ulteriorem Divinorum notitiam penetraſſe aſſerantur, perſvadet tum recondita horum myſteriorum natura, tum defectus ſtudii penes depravatiſſimos quo proficiant in ſcientia ſanctiſſima. Quemadmodum futura conjectent, Lutheri verbis §. IX expoſuimus. Sed illa revera mundana ſunt, non myſteria Theologica. Quod *Irenæus* a) dicit: *Inviſibilis poterat DEVS angelis eſſe propter eminentiam, ignotus autem nequaquam propter providentiam. Inviſibile enim ejus eum ſit potens, magnam mentis intuitionem & ſenſibilitatem omnibus præſtat potentiſſimæ & omnipotentis eminentiæ. Vnde etiam, ſi nemo cognoſcit Patrem niſi Filius, neque Filium niſi Pater, & quibus Filius revelaverit, tamen hoc ipſum omnia cognoſcunt; quandoquidem ratio mentibus infixa moveat ea & revelet eis, quod eſt unus DEVS omnium Dominus*; eo non amplius quidquam angelos ratiocinando aſſequi aſſerit, quam quod Paulus †) etiam gentibus corruptiſſimis concedit γνωςὸν τȢ Θεοῦ ex operibus animadvertendum. Omnino vero reconditam DEI ſapientiam, & quæ noluerit DEVS iis innoteſcere, ratiocinando nunquam aſſequentur. Cum tamen facultas intelligendi Divina amplior eis quam hominibus ſuperſit; quem vero ſtudium proficiendi non præſtat, cum metus ſuarum rerum, horror augendorum cruciatuum, nocendi libido, forte etiam frivola curioſitas addere poſſit animum ſcrutandi nonnunquam conſilia Divina: non negari plane poterunt ratiocinando qualitercunque proficere in Theologia ſua. Sic B. *Meyerus* b) theſin conſtituit: *Chriſtus in ſtatu exinanitionis, poſt tentationem, a diabolo pro filio*

†) Rom. I, 19. 20.

DEI

DEI naturali & Meſſia cognitus eſt, cognitione non evidenti & omnino certa, ſed inevidenti, ſubinde conjecturali & opinione firma. Atque ante eum laudatus ſæpius Chriſt. Chemnitius c) *Dicimus*, ait, *cum B. Gerhardo noſtro: Noverunt dæmones Chriſtum in ſtatu exinanitionis fuiſſe DEI Filium & verum DEVM, non per certitudinem ſcientiæ, ſed per conjecturam opinionis firmæ, & magis ſuſpicari quam noſſe cenſendi ſunt, ut loquitur Hilarius.* Sic idem d) fidei capita omnia eos credere aſſerit, *quod convincantur*, ratiocinando utique, *tum evidenti rerum experientia, tum per vera miracula pro fidei articulis facta, quæ a falſis miraculis optime diſcernunt.* Facile tamen conceſſero ipſos omni perſpicacia ac ſagacitate ſua nunquam eorum, quæ ratiocinando ſaltem aſſequuntur, myſteriorum atque operum Divinorum certam atque plenam nanciſci notitiam. Et ſane ad ipſos inprimis ſpectare dixero gaudium Salvatoris noſtri *) *Gloriam* dicentis *tribuo tibi, Pater Domine cœli & terræ quod hæc occultaveris ſapientibus & intelligentibus, & revelaris infantibus. Enimvero Pater ita placuit tibi.*

*) Luc. X, 21. Matth. XI, 25.

a) *Adv. Hæreſes* II, 5. b) In *problem.* An Chriſtum in ſtatu Exinanit. diabolus pro naturali DEI filio, veroque agnoverit Meſſia? c) *De fide dæmonum* p. 31. conf. p. 25. ſq. d) Ibid p. 19.

§. XXVII.

An per intuitionem?

Vti vero nihil eſt, quod ſtatuere cogat, demſiſſe DEVM dæmonibus ea quæ in prima conceſſerat creatione: ſic graviſſimæ e contra obſtare videntur rationes, quo minus idem eis poſtea quidpiam arcanorum ſuorum revelaſſe, aut in penitiorem ipſius conſpectum & cognitionem eos admiſiſſe credi queat. Equidem poſterius illud, quod longe plures inficiabuntur, admittere DEVM in ſui propiorem Intuitionem dæmones, & ſine medio iis revelare, vel pati ut coram adſpiciant in ipſo arcana ſua conſilia, facilius adhuc videtur aſſeri poſſe, licet maximæ etiam deterrere queant difficultates. Novimus in eo ſummam aliquando noſtram beatitudinem conſtitutam, quod DEVM ſimus viſuri †) ſicut eſt. Atque recte beatum ſemper angelorum ſanctorum ſtatum colligimus

†) 1. Joh. III, 2.

*) Matth. XIIX, 10. ex eo, quod ſemper intueri dicantur *) faciem Patris cœleſtis. At dæmonibus, poſtquam ſemel beatorum ſtatu exciderunt, neque guſtus unquam beatitudinis poterit tribui. Verumtamen nexus non inſolubilis videtur intuitionis DEI cum intuentis beatitudine. Maxime naturalis & attemperata ſpiritibus, ſejunctis a corpore, DEI cognitio videtur per viſionem & adſpectum. *Semper* autem boni angeli DEVM vident, quia ſemper eum videre delectantur. At ob DEI odium claudunt oculos dæmones, neque volunt ſemper adſpicere, cumque etiam ad ſe & alia quæcunque extra DEVM a DEo defecerint, *non* poſſunt *ſemper* adſpicere. Quando vero vel metus ut diximus, vel nocendi libido, vel prava curioſitas ipſos compulerit ſciſcitari decreta DEI atque placita, tunc utique ad DEVM intuendum convertunt mentis aciem. Id quod S. Scriptura clare comprobat. Hoc enim eſt, quod dicit: †) *Venit Satan in medio filiorum DEI, ut ſtaret coram Domino. Exiit ſpiritus & ſtetit ad facies Domini.* Auctor *Commentarii in Jobum* qui eſt in Operibus *Origenis*, multum quidem rhetoricatur a), quod diabolus non poſſit ſtare coram DEO, nec in perſona venerit, ſed conſiliis, cogitationibus, deſiderio & nequitiæ ſuæ meditationibus, quæ a ſanctis angelis ad DEVM oblatæ fuerint. *Gregorius* Papa c) *ita*, ait, *Satan inter angelos in conſpectu Domini adfuit, quia vis divina, qua intuendo penetrat omnia, non ſe* ipſam *uidentem immundum Spiritum vidit. Quia enim & ipſa, quæ DEVM fugiunt, latere non poſſunt dum cuncta nuda ſunt superno conſpectui, Satan adfuit abſens præſenti. Sicut cœcus, cum in ſole conſiſtit, ipſe quidem ſolis radiis perfunditur; ſed tamen lumen non videt, quo illuſtratur.* Sed utrisque clara reclamat litera, quæ cum filiis DEI Satanam, adeoque æque ac illos *prope DEVM adſtitiſſe* dicit. Et Gregorium ipſe *Petavius* c) fatetur ſibi non ſatisfacere, *nam*, addit *ejusmodi eſt, quod illic factum eſſe ſcribitur, ut non perpetuo continenterque fiat: Sed raro & certis temporibus. At conſpectui Divino nunquam non expoſitus eſt Satan.* Neque cœcus eſt, quod facultatem videndi DEVM nullam habeat reſiduam, ſed quod videre ob malitiam aut non velit aut non poſſit.

†) Job. I, 6. II. 1. 1 Reg. XXII, 21. 19. 2 Paral. XIIX, 20. 18.

poſſit. Quod vero Auctor *quæſtionum ex V. & N. T.* inter *Athanaſii* opera d) comparentium, dubium movet quod in cœlum adſcendere non potuerit, unde detruſum eum Scriptura memoret, iſtud nec aſſertum eſt in Jobi locis. Quod ſi *coelum* connotet beatitudinem comparentis in eo, recte idem *in terra* id factum aſſerit, non enim beatifica eſt diabolo viſio, cum cœlo ita accepto i. e. beatitudine exulet. Cœterum cœlum utique adſcendit & Divinis miſcet, nam Paulus clare memorat †) τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν ἐπȣρανίοις. At ratione ſtatus dæmonum bene *Schletterus* e) Intuitivam eorum cognitionem *a conſpectu Judicis in* שְׁאוֹל *eſſentia & operatione præſentis Pſ. CXXXIX, 8.* nuncupatam ſcribit. Quo pertinent B. *Macarii* verba: *ſi ſol hic, qui eſt creatura, illuſtrans loca cœno plena, nequicquam læditur: quanto magis Divinitas, ſi fuerit cum Satana, nec inquinatur nec polluitur? - - - - Si vero quis dicat proprium locum habere Satanam, proprium quoque DEVM, circumſcriptum eum facit, usque ad eum locum, ubi habitat nequam.* Vti vero Sancti quoque angeli non omnia vident in DEO, niſi quæ ipſe illos videre permiſerit, ſicut in tempore demum cognoverunt myſterium incarnationis CHriſti a ſeculis in DEO abſconditum, & ſicut διὰ τῆς ἐκκλησίας ipſis innoteſcit multifaria DEI ſapientia: dæmones multo minus conſpicere amplius DEVM ſecundum eſſentiam & voluntatem ejus poterunt, quam quousque permiſerit. Nunquam tamen aliter niſi ut ſeverum ipſis judicem cum tremore & horrore conſpicient, uti & ſtatim *exiiſſe a facie Domini* dicuntur. E contrario autem non admittere ſolum DEVM eosdem, ſed & accerſere nonnunquam ad videnda decreta ſua, probabile eſt. Certe ex his conſtat, non abhorrere a veritate, quod ex intuitione quoque DEI Theologiam ſuam acceperint dæmones.

*) Eph. VI, 12.

†) Job. I, 12. II, 7.

a) *Tomo* I. p. 379. ſqq. & 404. Edit. Grynæi. a) 2 *Moral.* c. 3. citatus *Petavio* Theol. Dogmatum *de Angelis* I. 10. 9. c) I. c. d) *Tomo* IV. quæſt. IIX. e) *Tract. Theol. Protheoret.* p. 7. citatus Sever. *Lintrupio* in lineam: protheoriæ Theol. §. 7. f) *Homilia* VII. §. 2.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

An per revelationes mediatas?

At per media certa Revelare DEVM dæmonibus quidpiam myſteriorum Theologicorum, id majores fere diſſuadent difficultates. Non patet, cur DEVS ea, quæ ignorant dæmones, & quæ omnibus ſibi reſiduis facultatibus aſſequi non poſſunt, manifeſtare iis velit. *Gratiæ* iſtud opus eſt, cujus incapaces ſunt nequiſſimi: *Supernaturalis* iis erit ſcientia, non modo quam naturæ rerum creatarum conſideratione haurire nequeunt, ſed quam maxime, quam viribus ſuis naturalibus etiam de his quæ ſunt extra mundanorum ſphæram non poſſunt indagare. Cur vero DEVS perditiſſimis, adeo ſupernaturale quid ut noſcant, media concederet? cur ſpontaneam eorum & malitioſam ignorantiam tollere laboraret?
Ebr. I, 1. Interpres Conſiliorum DEI eſt Filius DEI, qui id officium ab origine mundi multifariam, poſtremo ipſe coram homi-
Joh. I, 10. nibus aſſumto vere humano ore executus eſt. *Nemo DEVM vidit unquam, unigenitus DEI filius qui in ſinu patris eſt, is nobis*
Matth. XI, *annunciavit:* Johannes Baptiſta teſtatus eſt. & ipſe Salvator
27. dicit: *Nemo novit filium niſi pater, & nemo novit patrem niſi filius, & cui filius voluerit revelare.* Quid vero dæmonibus cum
I Cor. II, 11. CHriſto? Quod ſi hæc ratione hominum ſaltem dici putes, en clare *Paulus* ait, quod ſicut nemo norit quæ ſunt hominis ſpiritus, ita *nullus norit quæ DEI ſint, niſi DEI Spiritus.* Quod ſi omnis mediorum revelationis applicatio Sancti Spiritus opus eſt, quid hæc ad ſpiritus immundos? Gratioſum eſt & ſalutiferum Spiritus Sancti miniſterium, quid ergo dæmones attinet æternis tenebrarum vinculis ad tartara abjectos? Nec fruſtra DEVS opus quidpiam ſuſcipit. Nihilominus doctores Eccleſiæ plures tam veteres quam recentiores talem revelationem dæmonibus concedere videntur. *Auguſtinus* a) ait *innotuiſſe Dominum dæmonibus per occultiſſimæ* Signa *præſentiæ B. Quenſtedius* tribuit b) eis *notitiam rerum ſupernaturalium & ex revelatione hauſtam* & J. Fr. Meyerus c) *ex ſingulari Divini Numinis revelatione* ipſos *Theologiam ſupernaturalem* habere aſſerit, quo ex ſcriptura is cum aliis refert notitiam mortis Saulis & temporis interitus illius. Vt Quenſtedius ſatanæ ita remotionem

nem

nem ſepis potectionis Divinæ a Jobo; it. ſucceſſum fraudis penes Achabum, revelata notat. *Irenæus* poſtquam dixerat d) *Filium ab omnibus accipere teſtimonium, quod vere homo & quod vere DEVS, a Patre, a Spiritu, & ab angelis, ab ipſa creatura, ab hominibus, & ab apoſtaticis Spiritibus, & ab erroneis, & ab inimico, & noviſſime ab ipſa morte*; ſubjungit: *Omnia autem Filius adminiſtrans Patri perficit ab initio usque ad finem, & ſine illo nemo poteſt cognoſcere DEVM.* Singularis eſt B. *Bucheri* ſententia e) *a Spiritu S. eſſe notitiam myſteriorum in diabolo.* Qui tamen idem non ſentit cum *Sigvolkio* f) DEI Spiritum in diabolis quoque eſſe propugnante. Licet enim *Bucherus* quoque *veram, Divinam, ac ſpiritualem rerum ſpiritualium intelligentiam in diabolo eſſe* dicat, negat tamen ſalutarem eſſe, nec niſi in pœnam divinitus conceſſam dicit. Nimirum non ſtátim a gratia & ex gratia eſt, quando DEVS malitioſam dæmonum ignorantiam tollit, & eis ſublimem rerum ſpiritualium notitiam certis mediis manifeſtat. Vtique neque minimum opus fruſtra DEVS ſuſcipit. Omnia nempe in ſui facit gloriam. Hanc vero non gratioſis ſolum promovet operibus penes homines; ſed & dæmonibus, tum ut Dominus potens mancipiis, præcipiendo, tum ut juſtus judex vinctis, pœnam irrogando vel augendo, poteſt ea quæ ignorant revelare. Sic Auguſtinus g) *innotuit*, ait, *non ſicut angelis ſanctis, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo poteſtate fuerat liberaturus prædeſtinatos in ſuum regnum.* Et Irenæus h) *Dæmones*, inquit, *videntes filium dicebant: Scimus te, qui es, ſanctus DEI, omnibus quidem videntibus & loquentibus filium & Patrem, non autem omnibus credentibus. Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere teſtimonium, ut omnes juſte judicentur, & ea quæ in Patrem & Filium fides ab omnibus comprobetur, i. e. ab omnibus confirmetur, ab omnibus accipiens teſtimonium, & a domeſticis quoniam & amici: & ab extraneis, quoniam & inimici.* Non igitur probari poteſt *Thomæ Aquinatis* i) aſſertio, ad gratuitam & eam *quæ per gratiam habetur* veritatis in dæmonibus cognitionem referentis, *quod de ſecretis Divinis tantum iis revelatur, quantum oportet.* Licet enim pro ea af-

ferri poſſet, quod gratiam primi articuli, quam nos dicimus' illic indigitarit: Certe ἀκύρως gratia illa diceretur primi articuli, quam pro gratia per lapſum amiſſa dæmones reciperent. Non igitur gratia dici poterit, quod ad ignorantiam levandam DEVS dæmonibus certa quædam revelet, ſed juſtitiæ potius ac dominii effectum erit. Quamvis etiam miniſterio Filii DEVS reveletur dæmonibus juxta *Irenæum*, quamvis juxta *Bucherum* a Spiritu S. tribuatur notitia myſteriorum dæmonibus, non tamen gratia eſt ea, ſed imperium, imo juſta ira & ſeverum judicium. Fateor tamen mihi phraſes illas, cum horridiuſculi quidpiam præ ſe ferant, non videri facile adhibendas. Revelare autem DEVM dæmonibus etiam ſupernaturalia, utique negari non poterit. Ipſa ſcriptura teſtatur agnoviſſe dæmones JESVM Nazarenum, quod CHriſtus eſſet.
Matth. XVI. 17. Ipſe vero Salvator noſter, cum *Petrus* eum *Filium DEI vivi* confiteretur, *hoc*, reſpondebat, *caro ac ſanguis tibi non revelavit, ſed Pater meus cœleſtis.* Neque dæmonibus igitur idem myſterium corruptam ipſorum naturam plene revelare potuiſſe pateſcit, ſed ipſum DEVM in terrorem ipſorum ſignis quibuscunque illis id manifeſtaſſe.

a) *De Civit. DEI* IX. 21. b) *Syſtem.* T. I. p. 454. th. 37. 39. c) In problem. *an CHriſtum in ſtatu exin. diabolus agnoverit.* p. 6. d) *Adv. Hæreſes* IV, 14. e) *De Notitia literali & ſpirit.* p. 11. f) T. II. *Apocataſt. Peterſen.* tract. 5. *citante* Magnif. & S. V. D. Fechtio in *Coll. ad Syll.* Diſp. L. §. 3. g) *De C. D.* IX. 21. h) *Adv. Hæreſes* IV. 14. i) *Summa Theol.* P. I. quæſt. 64. art. 1.

§. XXIIX.

An per Scripturam Sacram?

Verbum Dei denique atque S. Scripturam etiam inter cauſas Theologiæ dæmonum comparere, jam jam ex ſupra §. VI. dictis conſtare poteſt. At qua virtute influent in mentes perditiſſimas ſacra DEI eloquia, id hodie inprimis minus expeditum videtur. Cum ea humanis verbis & literis humanis prolata & conſignata ſint: ad alias creaturas proprie non videntur ſpectare. Ipſe Origenes, a) *ſciendum eſt*, inquit, *quosdam ex uno principio delapſos eſſe in tantam indignitatem & malitiam,*

litiam, ut indigni habiti ſint inſtitutione hac vel eruditione, qua per carnem humanum genus, adjutorio virtutum cæleſtium, inſtituitur, atque eruditur, ſed e contrario etiam adverſarii & repugnantes his qui erudiuntur atque imbuuntur, exiſtant. Qui tamen paſſim omnes dæmones etiam reparandos, & ſtatim in hæc proxime ſequentibus aliquando *reſtituendos eruditionibus angelicis* & ſublimioribus ſtatuit. Quod ſi nec ſpectat ad dæmones Divinus ſermo, qua ille efficacia quandam eis ſui notitiam dabit? Furto igitur & furtiva ſolertia eos ſuſcipere illam notitiam aſſerunt magni nominis Theologi. Et vere quidem *Auguſtinus* b) ac eleganter, ea quæ de civitate ſanctorum & CHriſto mediatore quandoque dicunt, audita a ſanctis prophetis vel angelis, *aliena vera* appellat. Vidimus tamen etiam Divinum ſermonem ſuo modo ad dæmones pertinere. Atque uti per alia media, ita omnino ac quam maxime per verbum DEVS dæmonibus ſe revelavit, qui & ipſe humano ſermone non protoplaſtos modo, ſed & ſecundum Adamum, & homines nunquam fere non alios aggreſſi ſunt. Initio ſtatim *Protevangelium*, feralis dæmonibus ſententia, ipſi ſerpenti ſeductori promulgata eſt Divino ſermone. Et ſalvator noſter, cum tentaretur a maligno, ſuo exemplo docuit omnes ſectatores ſuos adhibere illum *gladium Spiritus* tanquam dæmonibus nec ignotum nec evitandum. Cumque omnis Divina revelatio in pœnam Satanæ ordinata ſit, vix eum libido ſupplicia ſua furandi ſæpius incedere poteſt. Certum ſaltem DEO invito nihil furto ſubtrahi poſſe. Vtcunque autem furto ſit acquiſita dæmonum Theologia, non tamen eo mutare poterunt DEI verbum, quin eam, quam debebat, DEI notitiam ipſis conferat, quod vel eorum hinc quoque conceptus horror comprobat. Duo confert humano intellectui afficacia Divini ſermonis, facultatem illum percipiendi, & ipſas ἐννοίας Divinæ doctrinæ. Vtrumque opus eſt gratioſum Sanctiſſimi Spiritus, ad ſalutem hominum tendens. Quæ ſancti Spiritus intentio cum plane ceſſet, dum diabolis quædam manifeſtat, facultatem verbum ad ſalutem ſuſcipiendi eis tribuere non poteſt.

Gen. III. 15.
Matth. IV.
Eph. VI, 17.

eſt. Facultatem autem capiendi ad terrorem & damnationem nemo iis negat. Deinde diſpar facultatum dæmonibus reſiduarum, & earum quæ hominibus reſtant, ratio ſupra §. XXIV. clarior evaſit. Hinc facultatem novam per verbum intellectui dæmonum accedere, nemo quod ſciam aſſerit. Ipſe B. *Bücherus* c) qui verbis ulterius hic, quam alii, proceſſit, *diabolum*, ait, *intellectu per virtutem Divini verbi elevato myſteria quædam intelligere, ut eorum veritatem & auctoritatem Divinam negare non poſſit, at novas intelligendi vires non accipere.* Nimirum nulla in dæmones, vel minima ex parte, cadit renovatio. Et hoc eſt, quod & B. *Waltherus* dudum dixit: *Fidem dæmonum tantum hiſtoricam Theologi referunt ad generale duntaxat DEI auxilium, quod motione non niſi generali extra Chriſtum is præſtat creaturis bonis vel malis.* Hinc diſerte B. Chriſt. Chemnitius e) *quod diximus*, ait, *Diabolos per naturalem quandam facultatem credere, illud intelleximus de facultate credendi quam habent ex gratia creationis, non autem de objecto credendo, quomodo id ipſum illis innotuerit an per naturam, an per revelationem? Etenim libenter concedimus quod myſteria gratiæ non ex naturali ſagacitate, ſed unice ex revelatione verbi cognoſcere poſſint.* Revera igitur ἐννοίας Divinæ doctrinæ confert dæmonibus DEUS vi verbi ſui, non fruſtra ad ipſos etiam prolati. Jure itaque Summe Venerabilis Præceptor meus, Magnificus D. *Fechtius* f) *Divinam* ac *Divinitus excitatam* dixit dæmonum notitiam, diſerte tamen proteſtatus, ſe *non dicere diaboli notitiam Spiritualem, eo ſenſu quo irregenitorum notitia ſpiritualis eſt, i. e. ex operatione Spiritus Sancti ad hominem convertendum ex DEI intentione tendens, cujus diabolus capax non ſit.* Cumque Summe Reverendus Bergenſis Abbas *D. Breithauptus* citra dubium negare nolit hac virtute, quam modo vidimus, influere in mentes dæmonum Divina eloquia, non video, cur etiamnum in nuperrimo ſcripto ſuo g) *Divinam* dicere vetet diabolorum notitiam, cum uel ex ipſius hypotheſi multo magis ea Divina dicenda fuerit, quam impiorum Theologia. Requirit enim, *ut quid vere Divinum* ſit, ut *dicatur tale non a*

ſolo

ſolo objecto ejusque auctoritate, ſed ut modus recipiendi etiam ordinationi Divinæ ſit conformis & ſpiritualis. Jam de objecto notitiæ diabolicæ non eſt dubium. Hoc cum DEVS a diabolo recipi velit non niſi cum tremore & horrore, neque dubium eſſe poſſit diabolum illud ſemper cum horrore ineluctabili capere, utique modus recipiendi etiam ordinationi Divinæ nunquam non erit conformis. De evangelice ſpirituali receptione autem penes dæmones contendere, incongruum eſſet. Et ex p. a. dictis clarum eſſe poteſt, quod in hac quoque revelatione præſtat tum Pater, tum Filius, tum Spiritus S. neque eam primi nec tertii articuli gratiam, ſed meri imperii & juſtitiæ Divinæ opus eſſe. Vt igitur adhucdum immotum ſtet S. V. D. *Fechtii* argumentum: *Quæcunque notitia juſtitiæ divinæ in diabolo horrorem terroremque excitat, ea eſt Divinitus excitata.*

a) *περὶ ἀρχῶν* I, 6. p. 682. b) *De Trinit.* IV. 17. c) *De Notitia liter. & ſpirituali.* p. 11. d) *Harmonia Bibl.* ad Jac. II, 19. e) *De fide dæmonum* p. 38. f) *Epiſtol. Anti-Prædeſtinat,* p. 90. 71. g) *Epiſt. Anti-Pelag.* P. II. p. 105. ſq.

§. XXX.

Certiores itaque, opitulante Gratia Divina, de Exiſtentia & de Originibus Theologiæ dæmonum, facilius jam perſpicere poterimus QVALIS illa denique dicenda, ſive in ſe, ſive ratione ſubjecti ſui, dæmonum nimirum, ſive ratione aliorum tum angelorum ſanctorum, tum hominum, tum ipſorum dæmonum conſideretur. Id quod *tertium* ac poſtremum hic tractandorum *caput* reſtat, ea qua fieri poteſt brevitate, adhuc explicandum. QVALIS SIT *Theologia dæmonum?*

§. XXXI.

Scientiam Theologicam conſtat inferre notitiam veram, firmam certamque, atque vivam. Diabolo vero talem nequaquam tribui poſſe videtur haud paucis. VERAM notitiam Divinorum myſteriorum ut hominibus impiis, ita multo magis diabolis denegandam eſſe contendit Celeberr. Abbas Bergenſis D. *Breithauptus.* Vrget inprimis dictum Salvatoris*), *An vera?*

*) Joh. VIII, 44.

 verita-

veritatem in diabolo eſſe diſerte negantis. Regeſſerat Theologus de Eccleſia meritiſſimus, ſumme Ven. D. *Fechtius:* a) *Quid inde ſequitur? In Judæis & in diabolo, cum verbo DEI obnituntur, veritas non eſt: ergo nec, cum verbo DEI non obnituntur? οἱ διάβολοι πιςεύουσι ὅτι Θεός ἐςι, Jac. II. 19. Ergo verum hoc non eſt? Profitentur, Chriſtum eſſe Filium DEI Matth. IIX, 29. Marc. I. 24. III, 11. inprimis Luc IV, 41. Act. XIX. 15. Ergone nec hoc verum eſt? Anne cum Spiritus S. dicit ᾔδεισαν, τὸν Χριςὸν αὐτὸν εἶναι: nobis dicere licebit non noverant, vel mendaciter noverant?* Cumque reſponderet ſumme Rev. *Abbas* b) *Quam horrendum hoc legenti verba Chriſti; non eſt in diabolo veritas?* notaretque *confundi notitiam hiſtoricam cum ſpirituali & vera*, quæ ſit, cujus effectus & *redundans inde affectus ſit verus ſeu proprius veræ cognitionis DEI.* addens tamen. *Ecquis, obſecro, Theologorum concedit, DEUM & Divina apprehendi a diabolo, ſicuti ſunt? Qui ne poteſt quidem potentiam paſſivam obedientialem è verbo admittere ad vere cognoſcendum:* Repoſuerat S. V. meus *Præceptor* c): *An vero horrendum eſt dicere in diabolo veritatem eſſe, quando ad Chriſtum dicit: Novi quis ſis, quoniam tu es Chriſtus Filius DEI?* Quumque monuiſſet ſe *non ſpiritualem* dixiſſe *diaboli notitiam eo ſenſu, quo irregenitorum ſpiritualis eſt*, ſubjunxerat: *Quo non obſtante veriſſima eſt ejus notitia, quia cum objecto, quod apprehendit, convenit, à quo veritas cujuslibet cognitionis unice denominatur. Quo diabolorum notitia adeò vera eſt, ut dum non tantum norant (δαιμόνια πιςεύουσι) DEUM eſſe, ſed eundem etiam eſſe peccatorum ſeverum vindicem, ideo intra animum ſuum φρίττωσι, horreſcant, pœnasque cum Panico metu exſpectent. Jac. II, 19. Cur non ſimili, quo me, modo Apoſtolum invadit Anti-Pelagius: horrendum eſt, legenti verba Chriſti;* non eſt in diabolo veritas, *tamen in os magiſtro contradicere diſcipulum* diabolus credit *judiciumque divinum extimeſcit.* Et deinde d): *Ecquis Theologorum non ita concludet: quicunque DEUM apprehendit ut unum & juſtum, is apprehendit DEUM* Sicuti Est. *Item quicunque Chriſtum concipit ut DEI filium Marc. V, 7. ut filium altiſſimi Luc. IV, 41. quem Chriſtum eſſe noverat Act. XIX, 15. miraculorum evidentia convictus, ut ait ad locum Jacobi D. Hornejus, is eum*

eum apprehendit Sicvti Est. *Nempe licet non ſecundum totum eſſe ſui, quod ad ſcientiam ut talem non requiritur, vere tamen.* Ex quibus, me etiam tacente, manifeſtum eſt, tum quod, tum quo ſenſu vera ſit dæmonum Theologia. Nondum tamen admittere id voluit Celeberr. *D Breithauptus*, in poſtremo ſuo ſcripto e) regerens: *Veritati, quam Chriſtus negat in diabolo eſſe practicam & affectivam, perverſe opponitur objectiva ſeu hiſtorica, quæ ſc. objectiva hoc etiam loco prædicatur in eo veriſſima, cum expreſſe appoſito falſo illo principio, quod verum unice ab objecto denominetur.* Vbi in meam rem quod ſpectat, lubens aſſumo, quod Chriſtum dicit diabolo practicam ſaltem & affectivam veritatem negare, quæ ſane cum hiſtorica ac objectiva non minus male confundetur, quam, ipſo antea notante, notitia hiſtorica cum ſpirituali. Vnde vero denominanda ſit objectiva veritas nunc non diſputabo. Nemo vero, niſi juſto moroſior, vitio mihi dabit, ſi objectivam veritatem Theologiæ illi dæmonum tribuens cum Ven. *Præceptore* meo, eam monuero me non aliunde quam a ſolo objecto denominatam indigitare h. e. qua notitia diabolorum objecto conveniat, & illud apprehendat intellectus eorum ita ſicut eſt. Et hanc veritatem competere dæmonum Theologiæ, non opus erit pluribus nunc probare. Certe cum ipſimet DEO placuerit dare dæmonibus ſuorum myſteriorum notitiam, non niſi conformem objectis ſuis ſuæque menti concedet. Et tuto aſſerere poſſum, minus etiam dæmones repugnare notitiæ illi aſſumendæ quam homines, vel ex ea ratione, quia non ad ſalutem ſed in pœnam conceditur, non ex gratia ſed ex juſtitia, judicio & imperio, cui reſiſti poſſe nemo affirmabit. Sicque non reſtitiſſe eos ſcriptura teſtatur, quod *) *cognoverint Chriſtum*, quod *manifeſtare* potuerint, quod *noverint JESVM illum eſſe Chriſtum*, quod *ſciat diabolus ſe exiguum temporis* præſtitutum *habere*, diſerte aſſerens. Vti vidimus eos DEUM ſecundum eſſentiam opera ac voluntatem, non modo ut ſibi tremendum, ſed & ut hominibus, quos contemnunt, quos oderunt, quibus invident, grati-

*) Marc. I, 34. III, 12. Luc. IV, 41. Apoc. XII, 12.

gratioſum, adeoque in tantum, quantum noſcant, plane ſicut eſt, cognoſcere. Licet nihilominus *tenebrarum vinculis* conſtricti maneant, non tantum pravæ voluntatis, horroris item atque tremoris caligine occupati, ſed & veram illam notitiam ex propriis deturpare, ac pervertere ſuis mendaciis laborantes. Ut & hoc ſenſu veritas non ſit in illis. Quam verborum iſtorum Chriſti ſententiam *Origenes* f) præferre videtur, *dignum*, ait, *quæſitum eſt, quomodo veritas dicatur non eſſe in* diabolo *utrum tandem quod nullum dogma verum habet, ſed quæcunque opinatur, falſa ſunt? an potius quia particeps Chriſti non eſt dicentis; Ego ſum veritas? rurſum tertio addubitatur, annotaturis quibusdam, num dicere oporteat non eſſe veritatem in eo qui qualecunque mendacium opinatur, etiamſi cum multis veris ipſum opinetur. Vt enim mendacium eſt quod ex innumeris quæ valde vera ſunt, & uno mendacio contextum: ſic in eo qui cum multis veris unum mendacium opinatur, talis eſt complexio, ut in illo dicamus veritatem non eſſe.* Qua ratione Alb. Grauerus g) *Dictum Chriſti* inquit, *non videtur hoc velle, quod Diabolus nullam veritatis cognitionem habeat, ſed quod veritatem non profiteatur.* Cumque utique peculium ipſius ac proprium ſit mendacium, non male cum *Auguſtino* h) Theologiam ejus appellabis Aliena Vera, *per quæ fideles DEI, ſi poſſit, ad* Sua *traducat.* Utique enim nunquam ceſſat adverſari Divinæ Veritati, & pervertere vias Domini rectas.

a) *Disquiſition. de vera rerum ſacrarum notitia* p. 167. §. 11. b) *Epiſtol. Anti-Pelag.* P. I. p. 73. 80. c) *Epiſtol. Anti-Prædeſtinat.* p. 71. d) p. 77. 78. e) *Epiſtol. Anti-Pelag.* P. II, p. 107. f) *In Johannem* pag. 319. Ed. Huetii. g) loco alleg. ad §. 24. h) *De Trinitate* IV. 17.

§. XXXII.

An certa? Ob has ipſas dæmonum tenebras ac inſignem malitiam non ſemper plena certitudine ſtipatam eorum Theologiam, neque Firmum, Certum ac dubio carentem circa cognita omnia Assensum iis ſemper conſtare, facile conceſſero. Inde ſunt qui coactos illos credere aſſerunt, quando credunt. Contra quos tamen recte B *Meiſnerus* a) urget, *mentem naturæ intelli-*

intelligentis per ſe ferri ad aſſenſum omnis veritatis, & ad illum cogi haud poſſe. Si ergo dæmones, arguit, *veritatem perſpicue vident, certe non inviti, ſed liberi, non coacte, ſed ſponte, ex inclinatione mentis naturali illam apprehendunt & credunt.* Addit: *hoc quidem concedimus, nonnulla quæ credunt diplicere dæmonibus & ingrata eſſe, hinc tamen nec coactionem fidei, multo minus abſentiam hiſtoricæ fidei inferre licebit.* Et ſic voluntatem eorum dein cogi Chriſt. *Chemnitius* b) infert; *non quidem violenter ſed moraliter, quia nim. per evidentiam luculentam non poſſunt negare id, quod alias per malitiam obſtinatam libenter negarent.* Quorſum idem explicat dictum Ambroſii c) *diabolum per naturam Chriſtum DEUM profiteri* aſſerentis. Quæ eo rectius ſe habent, cum fundentur ipſius Jacobi auctoritate, qui Jac. II, 19. cum eam ipſam vim notitiæ in voluntatem dæmonum aſſerat, qua contremeſiant, ſane plenam perſuaſionem & convictionem ac certitudinem firmiſſimam de cognitis DEI rebus tribuit dæmonibus. Nec enim tam ſtupidi cogitari poſſunt veteratores ſpiritus, ut eum exhorreſcerent, quem non firmo cum aſſenſu & certiſſime noſcerent Dominum omnipotentia terribilem, & per omnia ſeverum ipſis judicem. Patet igitur, ſolidis etiam ex fundamentis S. V. D. *Fechtium* d) in recentiori illa de Theologia impiorum controverſia aſſeruiſſe: *Diaboli aſſenſus, cum credit DEUM eſſe, veriſſimus aſſenſus eſt, non falſus & mendax, aut dubius & incertus. Quam validus eſt aſſenſus, qui φρίξιν ſeu tremorem in animo operatur? perfectiſſimus igitur & plus quam perfectiſſimus eſt aſſenſus.* Regeſſit quidem D. Breithauptus e) *non aſſenſum illum verum eſſe ſeu proprium veræ cognitionis*, quippe *quæ non efficiat tremorem, ſed pacem & gaudium. Nec eſſe veræ indolis, ex qua dicendus ſit aſſenſus Divinus, ſeu Divina fide immotus perfectus & perfectiſſimus, eo ſenſu ac fine ut hujusmodi notitia & aſſenſus materiales partes & fundamenta ſint fiduciæ ſalutaris. Hic enim ſi diabolo aſſignatur, diabolo cum hominibus quaſi una eademque ad ſalutem via aſſignatur.* Reſpondit Ven. Præceptor meus f) *veram utique cognitionem etiam horrorem efficere, dicente θεοπνεύστῳ Davide: cohorruit præ timore DEI caro mea & a judiciis tuis timui mihi Pſalm. CXIX, 120. Habere*

non tantum potentiam obedientialem (quam etiam denegaverat iis S. R. Abbas) *ad vere cognoſcendum eos, qui juxta Oſiandrum ad Jacobi l. c.* certiſſime ſciunt unum eſſe DEVM, *ſed actum ipſum cognitionis certiſſimæ & immotæ. Subditi ſcientiam, qua novit magiſtratui obediendum eſſe, veræ indolis, immotam, perfectam & perfectiſſimam eſſe, quanquam non obediat ſed recalcitret. Eamque ipſam ſubditis fundamentum eſſe & partem materialem fiduciæ in magiſtratus beneficia ponendæ, ſi notitiam in effectum obedientiæ deducant, & timoris pœnarumque, ſi obſequi detrectent. Si ſubditus ea perpetraverit peccata, quæ perpetuum carcerem meruerunt, ſententia lata, non ceſſat priſtina notitia eaque vera, perfecta, perfectiſſima: ſed ceſſat fiducia in magiſtratus clementiam ponenda. Et tum ipſi non amplius una eademque ad ſalutem via cum reliquis, qui viam ſibi ad gratiam non præcluſerunt, aſſignatur.* Ex quibus de ratione aſſenſus dæmonum, et certitudine notitiæ eorundem ſatis patet. Nec aſſerta illa oppugnavit amplius S. R. *Breithauptus*, in poſtremo ſcripto expreſſe dicens g) *non negari notitiam diaboli qua talem eſſe certam;* deſiderans ſaltem probationem aſſerti, *illam eſſe veræ indolis ex affectu;* quod fallaciter deſertum queritur. Ipſe tamen reſpondet ad eam, quæ pro defendendo illo aſſerto allata fuerat, comparationem diaboli cum ſubdito carceri mancipato: *in regno mundi penes ejusmodi ſubditum fiducia non eſt pars ejus fidei, qua credit quæ à ſubdito credenda ſunt, an propterea non eſt pars fidei in regno DEI?* De qua vero re paulo poſt conſtabit. Quantacunque vero ſit certitudo dæmonum, & quam acerbus ejus effectus iis exiſtat, ut primum tamen ad ſua redeunt mendacia, ſcelera, fraudes, & a facie domini quaſi exeunt, tantum detrahere videntur ſuæ cerditudini, quantum mendacia ſua ſatagunt ſtabilire; & nunc ſibi ipſis ſuisque quaſi ſenſibus diffidere, nunc DEI immutabilitatem & veracitatem ex ſuo ingenio judicare, adeoque de iis, quæ modo cum aſſenſu horrorem incutiente agnoverant, nunc dubia ſibi fingere, ut ſui regni ſtatuta appareant, ceu optant, tanto firmiora. Vnde non male Theologi, notante etiam J. Fr. *Mayero* h), damnationem inter cæteras calamitates in corru-

ptione

ptione notitiæ intellectus collocant; maximam hinc damnationis diabolos cruciantis partem colligentes, quod plurima quæ norant, ea non ſine animo pendente, incertisque fluctibus horſum quorſum delato, norint.

a) Diſſ. *de Fid. Juſtif. nat.* allegata Chriſtiano *Chemnitio* de fide dæmonum p. 38. b) l. c. p. 35. c) *In Lucæ* IV. d) Disquiſit. *de vera rerum ſacr. not.* p. 170. e) *Epiſt. Anti-Pelag* P. I. p. 80. ſqq. f) *Epiſtol. Anti-Prædeſt.* p. 77. ſqq. g) *Epiſt. Anti-Pelag.* P. II, pag. 109. h) *An Chriſtum diabolus in ſtatu exin. agnoverit.* p. 13.

§. XXXIII.

Viva dicitur hominum Theologia inde potiſſimum, quod mortem ſpiritualem extinguere ac mortificare, & vitam novam accendere apta ſemper nata exiſtat. Quo ſenſu facile patet dæmonum Theologiam vivam dici non poſſe. Quod *Origenes* a) ait: *Dicat aliquis cauſam, cur homines carnem & ſanguinem induti confugere poſſint mutati ad DEVM per Chriſtum, eos vero, qui puriori natura utuntur, incapaces eſſe omnes credendi in ſervatorem, minimeque obſtupeſcere propter prodigioſas virtutes, quas ipſe fecerit*; ab Eccleſia dudum confutatum eſt. Æternis tenebris vincti nullam mutationem, nullum acceſſum ad DEVM; ad tartaream mortem detruſi nullam in ſervatorem fiduciam, nullam vitæ ſpiritualis radicem concipere poſſunt. Rectius igitur Auguſtinus b) *Innotuit*, ait, *dæmonibus non per id, quod eſt vita æterna & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem quæ in illo eſt corda mundantur.* Quamvis enim Jacobus fidem tribuat dæmonibus, manifeſtum tamen eſt, eum non tribuere talem, qua confugiant ad DEVM per Chriſtum, qua mundentur & mutentur corda vel animi eorum, ſed quæ mortua ſit, operibus caſſa, & a DEO cum horrore potius refugiat. Vtique igitur in regno DEI etiam penes talem ſubditum, qualis diabolus æternis ſuppliciis addictus, fiducia non eſt pars ejus fidei qua credit, quæ a ſubdi-

An viva?

Jac. II, 19.

to credenda ſunt. Non enim credendum amplius reſecto tali a reliquorum conſortio civi, DEVM ſibi gratioſum, ſed ſaltem, eum juſtum & terribilem judicem exiſtere. Quantumvis autem dæmonum Theologia *mortua* ipſis exiſtat reſpectu effectuum gratiæ, non tamen mortua ſed quam maxime *operoſa* eſt in producendis juſtitiæ Divinæ effectis, ad augendam eorum damnationem, & incutiendum induratiſſimis acerrimum tremoris ac horroris affectum.

a) *In Johann.* p. 254. b) *De Civ. DEI* IX, 21.

§. XXXIV.

An perfecta?

Quam Perfecta denique ſit dæmonum Theologia, quæ ex dictis ſubnaſci videtur quæſtio, non prolixa indiget excuſſione. Ampliſſimam eam eſſe, ex ſuperioribus manifeſtum ſatis exiſtit. Cumque a DEO eam habeant, facile pateſcit, non poſſe ei deeſſe quidquam, quod ex decreto Divino ipſis noſcendum ſit. Notiſſima eſt *Auguſtini* a) ſententia: *Tantum* Dominus dæmonibus *innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit.* An igitur ad omnia ſe extendat, quæ nobis in ſacro codice revelata ſunt, dæmonum Theologia, non auſim determinare. *Circumſcripti* ſunt citra dubium ne plura noſcere queant, quam DEUS ad ipſos pervenire voluerit. *B. Dannhauerus* b) dicit, ſi praxis deſit *neminem perfectiorem eſſe Theologum cacodæmone.* Et numquæ ac quænam ex S. codice ipſis ignota ſint, multo minus determinare vellem. Quando autem v. g. *Juſtinus Martyr* c) dicit: *dæmones non ignari prædictionum propheticarum*, eas *parum intellectas* conati ſunt per errorem a noſtro Chriſto ad ſua figmenta detorquere, non apparet quid male dixerit, & cur non & hodienum quorundam verum ſenſum habere nequeant. Nimirum quod laudatus ſæpius Chriſt. *Chemnitius* d) dicit: *optime ex prophetiarum ſacrarum collatione concludere potuiſſent*, tempore Chriſti in terris viſibilis, *Chriſtum eſſe Meſſiam θεάνθρωπον, niſi DEVS in commodum & utilitatem generis humani, ut commodius*

redem-

redemtionis myſterium perficeretur; concurſum illis generalem denegaſſet, ut ad multa non attenderent: id & hodie forte in aliis ad commodum eccleſiæ poteſt obtinere.

a) *De C. D.* IX, 21. b) *Hodoſophia* p. 20. c) *In Apologia* II. operum T. I. p. 165. Edit. J. *Langi*. d) *De fide dæmonum* p. 25.

§. XXXV.

Qualis jam iſta dæmonum Theologia ipſismet exiſtat, *An ſalutaris?* non opus eſt fuſius ediſſerere, cum toties omnes fere ſpeciminis hujus paginæ Divinis Jacobi uerbis abunde id indicarint. Jac. II, 19. Inprimis, dum p. a. num ea *viva* ſit diſquiſivimus, patuit, quantam *efficaciam* in iſtis exſerat, exacerbantem videlicet tantopere ipſorum damnationem, terrore ipſos atque tremore perpetuo afficientem *Moralem* eſſe efficaciam illam Chriſt. *Chemnitius*, uti §. XXIII. vidimus, ſtatuit. Si quis tamen & majorem eam ac vi propiori hos effectus producentem dixerit, non refragabor, ſiquidem penes ſuperbia & malitia induratiſſimos vis mere moralis vix terrorem aliquem & horrorem efficere poterit. Dum vero, quo plus DEUM aliis creaturis gratioſum & benignum cernunt, eo plus iræ, odii, furoris, livoris; quo plus DEUM juſtum ipſis & ſeverum judicem experiuntur, eo plus deſperationis & blasphemiæ concipiunt; id ex accidenti quaſi, per obfirmatam ipſorummet nequitiam & malignitatem, evenire deprehenditur. Tantum abeſt, ut SALUTARIS eis quomodocunque exiſtat hæc illorum Theologia. *Origenis* hac ex parte & aliorum quorundam veterum Eccleſiæ Patrum a vero aberrationes, ſupra paſſim notavimus. Quæ quo ſolidius dudum refutatæ ſunt, eo grauior eſt *Peterſenii* errorem illum in eccleſiam revocantis lapſus. Et abunde ex hactenus dictis conſtare poteſt eum nullo ſolido nixum fundamento dicere a) *Quando diabolus poſt tempus longinquum & tolerata judicia ad pedes Chriſti procumbet, & ſub caput ſuum rurſus coordinabitur, abſorpta in eo & ſuppreſſa Divina ſcintilla, eademque abſcondita tamen lux, quæ caligo*

 in

in ipſo effecta fuerat, reſuſcitatur, eique idem in illo ſtatu reverſionis in bonum ſerviet, quod ipſi in pœnam datum fuerat. Quomodo enim procumbent unquam ita ad pedes Chriſti, ut ſub eo tanquam capite gratioſo coordinentur & reduniantur, quibus adeo nihil eſt cum Chriſto? Certe ſi nullum aliud ſuppeteret adverſus iſthoc figmentum argumentum, hoc unum ſatis ab admittendo hoc errore abſterrere poſſet, quod ſine ſatisfactione Chriſti & ſine meriti ipſius conceſſione nulla reconciliatio, nulla cum Chriſto redunitio exiſtit. Cum vero toties diaboli ad eum, quocum tanquam capite reduni-
†) Matth. endi, exclamarent: †) *Quid nobis tecum? veniſtin ante tempus*
VIII, 29. *nos affligere?* poteratne fieri, quin, ſi mentiti fuiſſent dæmo-
Marc. I. nes id dicentes, vel ſemel communis Salvator eos ad ſanio-
24. V. 7. rem mentem revocaret? Dixiſſetne vel ſemel ad eos: In me
Luc. IV, ſpes aut ſalus veſtra, vel: hæc vergent in commodum ve-
34. VIII, ſtrum, vel: nunc tempus eſt veſtrarum pœnarum in tot æo-
28. num æones duraturarum, poſtea vero tempus veſtræ ſalutis & redunitionis? Sed altum de his ſilentium in ſcripturis. Neque ergo verum, quod deſituræ ſint aliquando tenebræ ipſorum, neque ſpes eſt Theologiam ipſorum iis unquam in bonum ceſſuram, vel, ut *Origenes* b) loquitur, *ignem illum qui incendit habiturum aliquid quod & illuminet. reſtituendosve* eſſe dæmones *eruditionibus primo angelicis, tum etiam graduum virtutibus, & ſic per ſingula ad ſuperiora provehendos, usque dum ad ea, quæ ſunt inviſibilia & æterna perveniant, ſingulis quibusque cœleſtium virtutum officiis, quadam eruditione in ſpecie peragratis.* Nihil certe cum Chriſto, nihil cum DEO ſalutaris commercii diabolis amplius intercedit. Neque male tributus Origeni *commenta-*
Job. I, 7. *rius in Jobum* c) verba DEI ad Satanam: *Unde tu venis?* expli-
II, 2. cat: *Unde venis, tu qui tempus non habes, tu qui quietem non exſpectas, tu qui reſumtionis memor non es, neque requiem ſperas.* Cæterum an ex abſoluto quodam DEI decreto non ſalutaris exiſtat dæmonibus hæc eorum Theologia, an ob pervicacem illorum malitiam, tacente Scriptura non auſim determinare. Cum ſponte ipſi & nullo quoquam incitante defecerint, at-

que

que inter alios originem ſervantes rebellarint, juſto ſane judicio Divinæ miſericordiæ incapaces declarari potuerunt. Certum tamen etiam, diabolos non ſolum ſponte ac nemine inſtigante lapſos eſſe, ſed &, ut verbis Chriſt. *Chemnitii* d) utar, *etiamnum peccare, non quidem ex naturæ ſuæ conditione, adeoque ſine ſua ipſorum culpa, uti mire abſurdus fuit Heraclion, qui propterea, ut Origenes* e) *ſcribit, diabolum infelicem potius quam vituperabilem dicendum exiſtimavit, ſed ex deſtinata malitia, dum ſc. uti dictum ex abuſu liberi ſui arbitrii ſponte defecerunt: verum etiam in malo penitus ſunt confirmati, ita ut ad bonum reverti nec velint nec poſſint, ſed DEVM tanquam hoſtem acerrimum odio proſequantur, eundem non invocent, nihilque boni ab eo exſpectent, uti loquitur Formula Concordiæ.*

a) T. I. *Apocataſt.* Tract. 2. p. 254. b. §. 3. b) *In Exod.* Homil. 13. p. 103. περὶ ἀρχῶν I, 6. c) pag. 404. d) *De fide dæmonum* p. 4. e) In Johannem p. 320. Ed Huetii.

§. XXXVI.

Qualem ſe hominibus exhibeat ea dæmonum Theologia, facile itidem manifeſtum eſt. Quatenus in dæmonibus ea exiſtit, per eorum malitiam, ſemper laqueus fieri poteſt hominibus etiam ſincere piis. Quapropter, cum utique Satan non propria ſemper ſpecie compareat, ſed varii generis apparitionibus, viſionibus, oraculis, & per homines quoque optimæ, ut *Origenes* loquitur, converſationis in publicum prodeat, ſedulo cavendum vel ex Johannis monito ne ſtatim credamus cuique ſpiritui, quantumvis mera Divini ſermonis eloquia, miram quoque ſanctitatem præ ſe ferendo, videatur proferre, ſed omnia omni tempore ad lydium Verbi ſcriptura Sacra revelati lapidem erunt exigenda & examinanda. Quanta enim ſit dæmonum ſcientia Theologica, ſatis manifeſtum eſt, & ipſe Spiritus S. nos docet poſſe illos ſe in lucis angelos transformare. Et vere ille *Doctoris Chriſtianiſſimi* nomine celebris J. Gerſon a) *In Spiritu mendacii*, ait, *mille quan-*

Qualis ea hominibus?

1. Joh. IV, 1.

2. Cor. XI, 14.

doque

doque ſunt veritates apertæ, ut in unica latenti falſitate decipiat. In ſe tamen ſpectata illa dæmonum Theologia, prout hactenus deſcripta, a DEO orta, vera illa Divinæ mentis expoſitio, licet dæmonibus damnifica & horrifica exiſtat, ab iisdem ipſis licet ad homines ſit prolata, hominibus tamen efficax ad vitam & ſalutem, nec Spiritus Sancti gratioſa operatione vacans exiſtit. Non enim temere Megalander Lutherus b) *Si vel ipſe*, ait, *veniret diabolus* (*ſi tam probus eſſet, ut facere id poſſet ac vellet*) *ſed poſito me comperire deinceps, diabolum ſubintraſſe in officium, vel paſſum ſe in perſona viri vocari ad miniſterium, & publice in eccleſia evangelizatum eſſe, baptizaſſe, Miſſam, Abſolutionem adminiſtraſſe, idque officium & ſacramenta exercuiſſe & diſpenſaſſe tanquam miniſtrum, ſecundum mandatum & ordinationem Chriſti: fatendum tamen eſſet, vera eſſe ſacramenta, recte auditum Evangelium. Non enim fides noſtra in perſona fundanda eſt.*

a) *De probatione ſpirituum* b) von der Winckelmeſſe T. VI. Altenb. p. 100. a.

§. XXXVII.

Differt à Theologia impiorum hominum.

Reſtat, cum dæmonum hanc Theologiam hodie inprimis haud pauci eodem loco cum Theologia hominum Impiorum conſtituant, nec quicquam alteram ab altera velint differre, ut de hoc etiam paucis diſpiciamus. Conſtat Jacobum non modo fidem impiorum contendere cum fide dæmonum, ſed & Theologicam pravorum ſcientiam diabolicæ ſimilem δαιμονιώδη appellare. Hinc in prima ſua adverſus ſumme Venerabilem Facultatis Theologicæ in hac Alma Seniorem diſſertatione a) D. Breithauptus diabolicam aliquoties eam & dæmoniacam, neque veram proinde neque Divinam eſſe propugnavit. Monet tamen in poſtremo ſcripto b) *periculoſe cum diabolis* COMPARARI *impios* & addit: *Inſtas, quod ipſe Apoſtolus Jacobus inſtituat comparationem. At in comparatione Apoſtolica nullum periculum eſſe poteſt, quia eſt negativa, negans injuſtorum eſſe veram fidem, quia ſimilem notitiæ diabolicæ.*

Quando

Quando autem, pergit, *modus comparandi ſormatur affirmativus, ita ut cognitio Satanæ dicatur vera, divina vere, qualis non eſt, tum ſecuritas inde exoritur, negligiturque neceſſaria cura agnitionis vere Divinæ.* At quamvis neget Jacobus fidem illam juſtificam exiſtere & ſalvificam, non ipſum eo negare, veram & Divinam eandem eſſe, p. a. vidimus. Dum vero ſimilem eam dicit diabolicæ, eo ipſo non negativam ſolum, ſed & affirmativam inſtituit comparationem. Veſtigiis igitur hiſce inſiſtentes ſine periculo & convenientiam & diſcrepantiam Theologiæ impiorum & dæmoniorum poterimus indagare. Sic Subjecta dubio procul exiſtunt *diverſiſſima*, tum naturalibus facultatibus tum prærogativis gratiæ, cuius ſoli homines capaces ſunt, dæmones haud quaquam. *Conueniunt* tamen, quod utraque intellectu eam capiunt, neutrobi prærequiſita ad noſcendum fiducia, effectu eius ſaltem in voluntatem et facultates reliquas ſe extendente. Materies & obiecta utrinque plane *eadem* exiſtent, niſi forte amplitudine & multitudine differant, ſemper ſcilicet Divinæ mentis ἐκτυπώματα, ſi alia enim admiſta utrobique fuerint, eatenus non θεολογία ſed ματαιολογία potius exiſtet. Pertinet huc tamen *differentia* a B. Schelguigio c) notata: quod ſc. impius Theologiam ſuam hauriat ex Scriptura in illius vſum Divinitus ordinata: Diabolus autem, quicquid ex Scriptura norit tanquam ex alienis ſcriniis ad ipſum non pertinentibus furetur. Efficiente Causa *conveniunt*, quod utrinque Divinitus orta, collata & conceſſa exiſtat Theologia, utrinque per media Divinitus ordinata ſit collata. *Differunt* autem, quod hominibus etiam impiis ex gratia per meritum Chriſti parta concedatur, dæmonibus ex juſto DEI judicio; quod dæmones forte aliis etiam mediis quam homines vel ſine omni quoque medio eam accipiant; quod hominibus uirtute mediorum reſiſtibili, dæmonibus irreſiſtibili ea conferatur; quod *quicquid ex verbo revelato habeant*, ut eleganter ait B. Neumannus d), *ſpiritus infernales, id illis non contingat per modum luminis gratioſi, ſed fulguris per-*

K *petuo*

petuo terrentis; quod homines facultatibus a gratia conceſſis, dæmones naturalibus ea apprehendant. Ratione Formæ vera utrinque eſt & menti Divinæ *conformis*, eo ipſo, quia a DEO ſive ex gratia ſive ex juſtitia conceſſa eſt Theologia. Quod ſi cum notitia junctim concipiatur affectus ea producendus, tum *differt* Theologia impii a diabolica. Affectus notitiæ junctus duplex eſſe poteſt, amor vel odium, delectatio vel horror. Sed non æque in omni ſubjecto. Penes diabolum nunquam jungi poteſt amor vel delectatio. Penes hominem requiritur ut juncta exiſtant &
1.Joh.II,4. amor & delectatio. Hinc mendax appellatur Johanni notitia impiorum ſervatione mandatorum DEI non ſtipata. Niſi enim apud homines requiſitus amor junctus ſit, ex quo fluit præſtita ſpontaneo ſpiritu ſervatio mandatorum, vera non eſt affectuoſa notitia. At apud diabolum non mendax ſed vera eſt, modo horror junctus exiſtat. Etenim fluunt juncti notitiæ affectus ex agnitione & clementiæ & juſtitiæ Divinæ erga ſubjectum noſcens. Diabolus cum non niſi Divinam in ſe juſtitiam noſcere poſſit, veram notitiam habet, ſi contremiſcat. Homo vero quamdiu non utriusque, ſc. & juſtitiæ & bonitatis particeps eſt, ita tamen ut potiores in ſe partes clementiæ eſſe agnoſcat, quod fieri nequid niſi operibus teſtetur grato animo ſe id agnoſcere, non veram ſibique convenientem habet eam notitiam. Sicut enim notitiæ ſimplicis veritas æſtimatur ab objecto, quocum ei convenit, ita affectuoſæ veritas æſtimatur ex affectu, ei jungi debito. Ita porro Theologia impiorum ſine omni affectu, Theologia dæmonum nunquam ſine tremore exiſtere poteſt. Atque in hunc ſenſum recte B. *Spenerus* e) dixit *veritates divinas aliter a fidelibus, aliter ab impiis, aliter a diabolis capi*, quemadmodum *ſtatua marmorea icterico lutea videatur, aliis candidiſſima.* Nam ut ictericus oculus ſtatuam non niſi aliter ipſe affectus cernit, ita diabolus etiam alio ſaltem cum affectu, horrore nempe, & homo impius cum contemtu, vel cum odio, vel etiam cum horrore quodam noſcit, quod fidelis cum gaudio, amore

more & delectatione conſpicit. Quam maxime autem reſpectu Finis *differt* impiorum Theologia a dæmoniaca. *In diabolo*, verbis utar ſumme Vener. D. Fechtii f), *Divina & ſine formidine certa eſt notitia, ut eundem Apoſtaſiæ ſuæ & juſti in ſe DEI judicii, ceu immoto argumento convincat, in homine autem, ut ad pœnitentiam fidemque in Chriſtum adducat.* Illuſtrat hoc ſimili. *Civis*, ait, *ut felicitate civili fruatur, neceſſarium eſt, ut primo veriſſimam legum Reip. habeat notitiam. Secundo ut aſſenſum iisdem præbeat ſine ulla formidine verum & immotum, quod juſtitiæ omni modo congruant. Tertio ut fiduciam in Remp. ponat, fore, ut ſi legibus præſtet obſequium ſumma felicitate civili fruatur. Capitalis vero Reip. hoſtis (non ſecus ac diabolus quidam) non minorem aut minus firmam illius ipſius Reip. habet notitiam & aſſenſum, ſed eandem interea omnibus modis perſequitur -- cum hæc hoſtem terreat potius, quam ei felicitatem quamcunque conciliet.* Non invenit, quod objiceret D. *Breithauptus*, niſi g) quod *notitia & aſſenſus cum fiducia, ſi ſpectetur in externo hoſte, non ſint partes ad certum quoddam ordinatæ, & ſi eſſent, niſi unitæ, non valerent.* Sed quidem fiducia ad hoſtem nequaquam pertinet. Notitia & aſſenſus vero utique Satanæ in terrorem Divinitus ordinatæ ſunt partes fidei diabolicæ, & in hunc finem unitæ ſemper atque validæ. Sic & alia eſt differentia, qua ratione finis rerum credendarum differt dæmonum Theologia a Theologia impiorum. *Quomodo enim*, verba ſunt ejusdem meritiſſimi mei Præceptoris h), *aſſentiri potuit diabolus, Chriſtum pro omnibus diabolis natum proque iis quoque mortuum eſſe. -- Cui vero aſſentiuntur irregenitorum plurimi*, ſc. pro ſe eſſe natum ac mortuum, *& aſſentiuntur jure meritoque.* Huc pertinet etiam diſcrepantia a *B. Schelguigio* i) notata, qua *Theologia impii ad διακονίαν Spiritus Sancti pertinet. Quis vero de Theologia diaboli hoc dixerit?* Nimirum, quod §. XXXVI diximus, ex accidenti ſaltem eveniret. Effectu igitur ratione hominum, licet *concordet* Theologia ſive in impio homine ſive in ipſo exiſtat diabolo: ſuis tamen ſubjectis effectum præſtat perquam *differentem.* De-

Jac. II, 19. ſtituitur utrinque charitate & operibus ſanctis; notante
III, 14. 15. Jacobo, utrinque omnigenis vitiis & ſceleribus obruitur.
attamen fides impiorum operibus caret, ad quae ipſis vires
†) Matth. præbet; fides dæmonum caret iis, ad quæ vires ipſis nul-
XIII, 20. las ſuppeditat. Theologia impiorum quandoque etiam cum
†) gaudio; quod efficit, juncta eſt; diabolica non niſi horrorem producit. Olim tamen effectus notitiæ impiorum plane *idem* erit cum effectu diabolicæ, & quo amplior extitit Theologica impiorum ſcientia, eo graviorem iis procreabit damnationem.

a) *De vera DEI rerumque ſacrarum notitia* §. 13. 16. 25. b) *Epiſt. Anti-Pelag.* P. II. p. 107. c) *In Synopſi controv.* Art. II. quæſt. XI. d) *Theol. Aphoriſt.* p. 18. §. 5. e) **Auffrichtige Ubereinſtim.** Art. II. th. 10. §. 2. f) *Epiſt. Anti-Prædeſt.* p. 90 ſq. g) *Epiſt. Anti-Pelag* P. II. p. 105. h) *Epiſt. Anti-Præd.* p. 85. i) Synopſ. l. c. p. 13.

§. XXXVIII.

Differt a Theologia angelorum, fidelium, &c.

Convenientiam nunc atque *diſcrepantiam* Theologiæ dæmonum & ejus quæ in Angelis Sanctis & in Fidelibus Chriſti ſectatoribus exiſtit, fuſius ediſſerere ſupervacaneum eſſet, cum ex dictis de eo ſatis nobis queat conſtare. Curioſiori tamen horum ſcrutatori ad pleniorem indagationem conducent, quæ de ſanctis & angelis & hominibus B. Chriſt. *Chemnitius* a), & de angelis jam olim S. *Auguſtinus* b) eam in rem literis conſignata reliquerunt. Dæmonis vero *unius* Theologia ab *alterius* ſcientia factorum ſi diſcrepet, non niſi amplitudine forte diſcrepabit.

a) *De fide dæmonum* p. 35. 39. ſqq. b) *De Civit. DEI* L. IX, c. 22.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Nobis vero jam, opitulante Divina clementia aperte ſatis conſtat, quid de Theologia dæmonum ſentiendum, quid ab ea nobis exſpectandum, vel potius metuendum ſit. Cadere ſcientiam Diviniſſimam etiam in creaturarum perditiſſimas, non nunc amplius dubium exiſtet. Ab ipſo DEO illa etiam nequiſſimis illis eſt conceſſa, vera eſt, & plenæ juncta convictioni, atque tantum abeſt tamen, ut ipſis ullam procuret ſalutem, ut potius ex juſtiſſimo & ſanctiſſimo DEI decreto tremorem ipſis incutiat & aggravet damnationem. Inde vero manifeſtius adhuc exiſtit, quid ſperandum ſit illis, qui Theologiam δαιμονιώδη poſſident, hominibus, quam parum ipſis profuturum ſit dicere & dixiſſe: Domine, Domine, quantum graviores & acerbiores ipſi aliquando propterea daturi ſint pœnas. Tantum abeſt, ut ex orthodoxa hac & analogiæ fidei conformi doctrina ſecuritas oriatur, & negligatur neceſſaria cura agnitionis veræ Divinæ. Quinimo efficaciſſimus illa eſt ſtimulus ad ſollicitiſſimum ſtudium, ne fruſtra nos acceperimus hanc gratiam, utque, dum tempus eſt gratiæ, digne tantis Divinæ Clementiæ beneficiis incedamus, & ea quæ agnovimus ſanctis operibus exequendo, quam longiſſime nos a dæmonibus diſtinguamus. Viderint ſane, qui ob id ipſum impiis veram Divinorum notitiam denegant, ut habeant, quo ſe præ aliis efferant, annon ſcientiam inflantem ſaltem & caritate caſſam poſſideant, caveantque ne in judicium diaboli incidant. Ob id ipſum Summa Sapientia non viliorem impiis, imo ipſis dæmonibus conceſſit ſcientiam ſuorum myſteriorum, quam piis ac fidelibus, ut hi humilitatis ſuæque indignitatis commonefierent perpetuo, qui nihil habeant quam quod ex gratia acceperint, utque re ipſa igitur vita ſancta humillime gratos ſe exhiberent pro tantis beneficiis, & ex gratia ſemper præſentibus viribus

VSVS PRACTICVS hujus doctrinæ.

cum timore ac tremore ſalutem ſuam operarentur. Haud certe procul abſunt a blaſphemia, qui doctrinam hanc de vera impiorum & dæmonum Theologia doctrinam dæmoniorum, & noxium patris mendaciorum dogma dicunt. Diviniſſimæ & originis & utilitatis eſt. Neque ipſa impiorum Theologia, quantumcunque diabolicæ ſimilis exiſtit ob caritatis defectum, diabolica tamen vel originis vel efficaciæ reſpectu dici poteſt. Vti vero Theologiam dæmonibus in uſum hominum primario conceſſam vix quisquam aſſeret: Ita ejus tamen conſideratio maximam nobis præſtat utilitatem. Dum conſtat quam ampla ſit ſeductorum ſpirituum Theologia, ut illi ſpiritualibus ſe miſceant, ut in angelos lucis ſe & ſuos apoſtolos transformare poſſint, tanto ſollicitius cavebimus, ne ſtatim calculum addamus promiſcue iis quæ audimus, ſed videamus quænam audiamus, non credamus cuique ſpiritui, ſed examinemus accurate Spiritus, num ſint ex DEO, & quamvis mille adſint apertæ veritates, unicum tamen latens mendacium patris mendacii evitemus. Habet utique ſua criteria Divina veritas, quæ malignus ſuis mendaciis conciliare non poteſt. Recte pius Macarius a) *Non Charitatem in DEVM aut proximum, non manſuetudinem, non humilitatem, non gaudium, non pacem, non refrænationem cogitationum, non mundi odium, non quietem ſpiritualem, non deſiderium cæleſtium operationum poteſt dare* Satanas, *non pravos affectus & voluptates compeſcere, quæ manifeſta ſunt opera gratiæ.* Dum tamen umbras horum & ſimulacra effingit, incautos facile decipit. Tutius ergo eſt eiusdem *Macarii* b) conſilium: *Sta in gradu tuo tardus, examini iſthæc ſubjiciens curatiſſimo, quod bonum eſt amplectens, quod malum rejiciens.* Idque ad perpetuum & infallibilem S. Scripturæ, memoria nunquam relinquendæ, canonem. Ita eveniet ut in exitium ſtructæ inſidiatoris veteratoris ſerpentis machinæ non modo non obſint, ſed & proſint certiſſime, tum revocando ad diligentiorem Divinorum eloqui-

loquiorum ſcrutationem; ad preces, & omnigena fidei exercitia, tum ſuggerendo etiam memoriæ Divina oracula, quæ forte alias non æque cito occurriſſent, quæ ipſe tamen ut falleret mendaciis ſuis, ſponte jam evaneſcentibus, prætexuerat. Numen vero Benigniſſimum, cui pro conceſſis hic etiam gratioſiſſimis auxiliis grates ago humillimas & immortales, conculcet perpetuo & velociter Satanam ſub pedes noſtros, mihique indigniſſimo etiam clementiſſime concedat, ut quicquid deinceps, inprimis ex acquirendis nunc exactius confitendi cœleſtem veritatem academicis privilegiis, ſuſcepturus ſum, non cedat, niſi in ipſius gloriam meique & aliorum quorumcunque ſalutem, ad perpetuam deſtructionem regni tenebrarum, detegendas & enervandas fraudes DÆMONVM, & ſincere atque cordate adſtruendam veram THEOLOGIAM!

a) *De Patientia & Diſcretione* c. 13. conf. *Homil.* VII, §. 3. b) *De Pat. & Diſcri.* l. c. conf. *Homil.* XXXVIII, §. 5.